
SENSENEY
UNIVERSITY of MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
OCTAVIA WILLIAMS BATES
BEQUEST

INVECTIVA

LINI COLVCII SALVTATI

REIP. FLOR. A SECRETIS


IN ANTONIVM LVSCHVM VICENTINVM

DE

EADEM REPVBLICA

MALE SENTIENTEM

CODEX INEDITVS



FLORENTIAE

TYPIS MAGHERIANIS

MDCCCXXVI.

Dissapiunt quicumque Naevolam, Stignanum, universamque Vallem Colucii gratia non honorant.

Dominicus Arretinus

In Fonte ms. Rerum Memorab. Vniversi

PART. II. LIB. VII.

VIRO ORNATISSIMO

DOCTISSIMOQVE

LEONARDO TRISSINO

DOMINICVS MORENI

FELICITATEM

Etsi libellus iste meis curis nunc e tenebris erutus, in quo acerrimo calamo in patriae tuae civem celeberrimum Antonium Luschum invehit Colucius Salutatus, Florentinae Reipublicae Cancellarius, minime tibi convenire videatur, tamen Te precor, et obsecro ne mihi succenseas si eum, quem in lu-

cem editum diu concupieras, Clarissimo Nomini Tuo inscribam. Eo magis Tibi gratus, acceptusque erit, cum per Codicem meum, alterumque Laurentianum Invectiva etiam tui Antonii Luschi in Rempublicam, Populumque Florentinum, quam lugebas deperditam, reviviscat.

Tu ergo, dulce decus, praesidiumque meum, hoc quodcumque munusculum, Tui Nominis splendore superbum, in meae erga Te venerationis, et observantiae tesseram libentibus ulnis excipe, Tuique patrocinii clypeo defende, et me ipsum Tuis in me meritis obsequentissimum benignis oculis intuere. Vale.

Dabam Florentiae XVIII. Kal. Iulii 1826.

LECTORI BENEVOLO

Tanta virorum illustrium testimonia luculentissima habentur de Lino Colucio Salutato (1) *Pierii filio*, *Reipubli-*

(1) In nonnullis Codicibus appellatur *Linus Pierius* (idest Petri filius) *Salutatus*. *Lini* praenomen sero accepit, quod lepide irridet Leonardus Arretinus in epistola v. *lib*. x. in qua *nec linum*, dicit, *nec stupam adiungere necesse fuit ad tuum nomen illustrandum*.

cae Florentinae Secretario, viro undequaque celeberrimo, *deque eius in dicendo, et in scribendo tam metrice, quam soluta oratione, gravitate, et eloquentia, et de summis, gravissimisque muneribus eidem creditis fideliter, feliciterque gestis, ut sane inutile sit in eis percensendis longius immorari, ne, quae ab aliis iam dicta sunt, iterum recoquere videamur. Ast, ut haec legentibus quoquo modo satisfaciamus, quae ad literariae aeque ac* civilis *eius vitae cursum spectant, breviter perstringere conabimur. Ipse itaque ortum habuit in regione Vallis Nebulae loco dicto* Stignano, *antea admodum subobscuro* (1), *ex antiqua, civilique stirpe, anno circiter millesimo tercentesimo trigesimo. Id facile eruitur ex eius electione ad supremum Cancellarii Reipublicae no-*

(1) Dominicus Arretinus in suo ms. *Fonte Rerum Memorabilium Universi* Part. III. lib. VIII post laudes eximias Colucio iure tributas, concludit, quod *dissapiunt quicumque Naevolam, Stignanum, universamque Vallem eius gratia non honorant.*

strae munus, *quod*, *teste Scipione Ammirato* Part. I. T. II. lib. XIII. Historiae Florentinae, *evenit anno* MCCCLXXV., *quo tempore iuxta Philippi Villani sententiam quadragesimum quintum aetatis suae annum agebat* (1). *Post prima literarum elementa*, *quae Bononiae adhuc puer didicerat*, *Artibus liberalibus se totum dedit*, *in quibus ingenii acumine brevi tempore plurimum profecisse dicitur; et quod mirum est*, sine magistro, et ferme sine principio, *ut ipsemet in epistola ad Petrum de Mugio*, *aut*, *ut alii scribunt*, *de Muglo*, *Bononien-*

(1) Iste vitam eius latine scripsit omnium primus, quam Tusco sermone ab antiquo Anonymo redditam doctissimis animadversionibus edidit Mazzuchellius *Venetiis* anno MDCCXLVII. *Typis Ioannis Bapt. Pasquali in 4.* inter ceteras Virorum illustrium Florentinorum vitas ipsius Villani *pag.* XX. et *seqq.* Item Laurentius Mehus, ut alios praeteream, in Praefatione ad eius literas, ab eo in lucem emissas, *Florentiae* MDCCXLI. in 8., et in altera, summa, ac multiplici eruditione referta, quae Epistolas praecedit Ambrosii Traversarii Ordinis Camaldulensis, viri doctissimi, ac sanctissimi.

sem, Rhetorem celeberrimum, asseruit, sed tantum Dei digito, et ingenio, quod mihi dederat. *Sed non multo post huiusmodi Artium studiis penitus omissis, ut patris voluntati suffragaretur, et amicorum consiliis obsequeretur, invitus ad Romanorum leges se contulit. Ast in hac iuris cognitione parumper immoratus est, quoniam ad oratoriam, et poeticam suapte natura, et continuis quibusdam stimulis agebatur, et in eas amore, ac propensione usque adeo flagrabat, ut, ceteris praetermissis, has dumtaxat facultates adamaverit, ac tantummodo retinuerit; quibus quidem in rebus quantum laudis, et gloriae consequutus sit, vix exprimi potest. Siquidem cunctis naturae muneribus ornatus tantam legendi, et exercendi sui diligentiam abhibuit, ut et ceteris suae aetatis viris facile praestitisse, et quasi ad ea natus esse videretur. Hanc rem testantur plura literarum monumenta, quae in utraque facultate posteris legenda reliquit, quaeque singillatim enumerantur a praelaudatis viris, Laurentio*

Mehus, et Ioanne M. Mazzuchellio. Fuit et poeta, et Latinis, atque Italicis modulatus est carminibus, quorum plura servantur in Laurentianis codicibus. Hoc, quod sequitur in Dantis Alighe-rii laudem, hexastichum Decreto Publico positum in Aede maiore, suum est:

Qui Coelum cecinit, mediumque, imumque tribunal,
Lustravitque animo cuncta Poeta suo,
Doctus adest Dantes, sua quem Florentia saepe
Sensit consiliis, ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors saeva nocere Poetae,
Quem vivum virtus carmen imago facit.

Quaedam ex suo libro de Fato, et Fortuna *leguntur inter* Carmina illustrium Poetarum Italorum, Florentiae *edita anno* 1719 seq. *in* 8. T. *VIII.* pag. 29. *et* seqq. *Ex his facile dignosces quem artis gradum attigerit. Praeter plurima, et pene innumerabilia carmina hinc inde varie dispersa, octo eclogas, teste Villanio, lepidis versibus conscripsit, et opusculum quoddam* de Questione Phyllidis *exametris, ac pentametris versibus composuit, et multa alia hac poetica facultate literis mandavit. Ex quo factum est, ut alios*

exemplo suo, atque praeceptis ad literarum studia excitaverit, quos inter LeonardumBrunum(1), *virum undequa-*

(1) In huius tanti viri laudem Aeneas Silvius Piccolomineus, dein Pius II. Sum. Pont., hoc conscripsit Epitaphium prorsus fere omnibus ignotum, quod legitur ad calcem eius libri *de Studiis, et Literis etc. Paduae per Matthaeum Cardonis de Windischgrecz* 1483. *in* 4.

Leonardi Aretini epitaphium ab Enea Silvio Senensi poeta editum.

Hic, Leonarde, iaces Aretinae gloria gentis,
Qui fueras nostro primus in eloquio.
Pontificis Summi tractasti scrinia quondam,
Post Florentinus quae voluit populus.
Graecus Aristotiles legitur, te dante, latinus;
Prima etiam per te Punica bella patent;
Plutarchus latinas per te migravit in oras,
Qui Graecis Italos comparat arte viros.
Tu Florentinas acies, et praelia nostri
Temporis ornasti; nunc sine voce iaces.
Stat sua cuique dies, nulli fas vincere fatum:
Vita tamen post hanc altera maior erit.
Qui bene convixit laetus petit astra, malusque
Ortus quoque moestos sic Deus ire iubet.
Ergo tibi magnae semper virtutis amanti
G ratior est obitus quam tibi vita fuit.

que doctissimum, ut ipsemet Brunus in epistola XI. lib. *II. ad Bonifacium, ceterosque Colucii filios scribens testatur:* Quod Graecas, *inquit*, didici litteras, Colucii est opus; quod latinas non leviter inspexerim, Colucii est opus; quod poetas, quod oratores, quod scriptores ceteros legerim, didicerim, cognorim, Colucii est opus. Nemo unquam parens in unico diligendo filio tam sedulus fuit, quam ille in me etc. *Ex qua mutua consuetudine, qua cum eodem Leonardo quotidie utebatur, multum utilitatis retulisse fatetur ipsemet Colucius in epistola VIII. Id. Sextil. anni MCCCCV. ad Innocentium VII. Pont. Max.* Continua, *inquit*, et studiosa nobis consuetudo fuit, et cum de cunctis, quae componerem, iudex esset, et ego suarum rerum arbiter versa vice, nos mutuo, sicut ferrum ferro acuitur, exacueramus, nec facile dixerim ex hoc dulce, et honesto contubernio uter nostrum plus profecerit. Vterque tamen eruditior evasit, ut fateri oporteat mutuo nos nobis fuisse vicissim discipulus, et magister. *Literarum*

culturae morum candorem, *ac suavitatem*, *Deique timorem*, *quod in litterarum cultoribus perrarum esse solet*, *adeo coniungebat*, *ut*, *teste Villanio*, in lui non è alcuna cupidità innata, uomo è esemplare, e vive senza macchia d' alcun vizio; *sic Antoninus Ecclesiae Florentinae SS. Antistes non impari laudatione prosecutus est dicens T. III.* Operum pag. 446. *eum fuisse* virum iustum, et rectum.

Interim, *cum eius fama undique per Italiam percrebuisset*, *ad Pontificiam Curiam accitus* (1) *inter epistolarum Scribas ab Vrbano V. non sine magno*

(1) An Avenioni, vel Viterbii officio suo fuerit functus, non satis apparet. Tamen extat eius epistola ad Nicolaum de Auximo anno MCCCLXVIII. exarata, quam edidit Stephanus Balutius, quaeque Viterbii scripta est. Quin immo in altera ad ser Antonium ser Chelli Florentini ipsemet inquit: *Sed vidi et ego cum tempore felicis recordationis Vrbani V. Curia Romana Viterbii teneretur, pestem maximam solum inter Curiales, et forenses terribiliter debacchari*. Quod autem idem officium Innocentio VI., et Gregorio XI. praestiterit, a nonnullis asseritur, sed eorum assertio certis argumentis caret.

illius honore cooptatus est, cum omnibus pateat ad tantum munus fere semper esse adhibitos, qualescumque illi fuerint, quos litterarum, et latine scribendi fama praestare ceteris innotesceret, ut videre est in aureo libro de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus *a Philippo Bonamicio Lucensi, viro praestantissimo, congestis. Neque se fefellit Vrbanus Pontifex, cum, praeter alios, ipsemet Poggius Bracciolinius latinae eloquentiae, ac elegantiae magister apprime doctus, nullique sui temporis fere secundus* (1), *testetur Colucium fuisse*

(1) Poggii Bracciolini vitam mira eruditione contextam texuit Guilielmus Shepherd, typisque Liverpoolianis edidit anno MDCCCII. in 4. quam in Tuscum sermonem transtulit Clar. Causarum Patronus Thomas Tonellius, cui praefationem omnibus numeris absolutam, et quamplurimas animadversiones, et additamenta adiecit, et Florentiae omnium plausu eam typis tradidit anno MDCCCXXV. duplici volumine distinctam in 8. Vtrique gratiae, sicut et Guilielmo Roscoe pariter Liverpoolensi vitarum *Magnifici* Laurentii Medicis, et Leonis X. Sum. Pont. eius filii, auctori celeberrimo, habendae sunt. Huic has

virum doctissimum, ac communem doctorum omnium patrem, atque educatorem, *et inter primos, ut alii innuunt, pariter fuisse, qui in Italia latinas litteras quasi ab interitu revocarunt, quos inter Fabricius* lib. *III.* Biblioth. Med. et Infim. Latin., *Morerius* Suppl. *II.* vol. *II.* pag. 479. edit. Paris. 1749., *et prae ceteris praelaudatus Dominicus Arretinus Bandini filius, qui in codice Laurentiano* de Viris claris virtute, aut vitio, *sic eum laude prosequitur :* Colucius Pierius Rhetor maximus, facundissimusque orator, poeta clarus, et historicus gloriosus mihi adeo mirabilis in omni scientiarum

tantum de causa *de Bello Senensi* inscripsimus eloquentissimum *Commentarium Petri Angeli Bargaei* a nobis e tenebris erutum ex Codice autographo Magliabechiano, quem *Florentiae* anno MDCCCIX. notis illustratum, et cum eius vita a semetipso conscripta *Typis Daddianis* publici iuris fecimus. Qua animi benevolentia gratulationem nostram exceperit, Epistolae ab eo pluries repetitae satis abunde demonstrant, quarum unam T. III. *pag.* 185. *Historiae Basilicae Laurentianae* edidimus anno 1807.

genere, totaque politia inter quoscumque clarissimos mei seculi mihi visus est, quod postquam coepi dotes ejus meo calamo ponere in papyro, fere ab incoeptis destiti eum solum hac tempestate de se satis digne, nec alium scribere posse ratus etc. *Hic animadvertendum est, quod si ab eius scriptis abesse videatur perfecta veterum imitatio, quae multis post annis increbuit, non tamen abest perspicuitas, non eruditio, non conatus etiam quidam elegantiae; nam ut optime animadvertit Flavius Blondus in* Italia illustrata, *prius Colucius didicit, quam Ciceronianae imitatio eloquentiae sui seculi adolescentulis nota esse coepisset. Attamen in eius epistolis pro Republica Populi Florentini nomine dictatis tanta dicendi eloquentiae vis elucet, ut Joannes Galeatius Mediolani Dux crebro dicere sit auditus*, non tam sibi mille Florentinorum equites, quam Colucii scripta nocere (1); *quod*

(1) Scipio Ammiratus *lib.* xiii. *Hist. Flor.* ait:

idem cecinit Vgolinus Verinus lib. *II. de Illustratione Vrbis Florentiae:*

Si non eloquio, gravitate Colucius omnes
Exuperat, cuius ceu fulmina dicta Tyrannus
Bebriacus timuit, tantum terroris habebant.

Ideoque non defuit qui eum in hoc epistolari genere primatum habuisse diceret (1)*; quamquam laudatus Blondus alio in loco dicat ipsas epistolas prudentiam magis, gravitatem, et doctri-*

Questi è quel Coluccio, di cui Giovanni Galeazzo Visconti, che fu poi Duca di Milano, soleva dire, che egli temeva più una sola lettera di Coluccio, che un esercito di venti mila uomini armati. Mille tantum equites Volaterranus scribit *lib.* XXI. *Anthropol.*, bis mille Vincentius Borghinius. Idem Antoninus Florentinae Ecclesiae ✠. Antistes ad annum MCCCCVI. ita testatus est: *Colucius magnae scientiae, et eloquentiae, praecipue in dictandis epistolis, et maxime pro Communitate magnae efficaciae ad flectendum etc.*

(1) Hanc gloriam ipsemet Colucius, si mentem eius licet interpretari, sibi tribuisse videtur in epistola ad Mag. Antonium de Aquila: *Tu meas epistolas quasdam*, sic scribit, *ad scholasticos multos scriptas memoras, quibus a me, quae per se, vel per alios scire non poterant, didicerunt.*

nam, quam eloquentiam redolere, etsi eloquentissimae habitae sint. Contra Philippus Villanius, qui eam optime callebat, in eius vita asserere non dubitat quod: nel testo della prosa già ha acquistata tanta dignità, che meritamente si può nominare *Scimia di Cicerone; et alibi:* In quibus, *nempe, literis, et carminibus, ut verbis utamur eiusdem vitae latine scriptae iuxta Codicem Laurentianum* XXIII. *Plut.* LXXXIX. *inf. pag.* 98. praeter verborum nitorem, et ornatum, tanta est perorandi vehementia, in persuasione praesertim, ut non impetrare videatur, sed extorquere, quae velit.

Reversus in patriam, Bonaiuto Serraglio Reipublicae Florentinae Vexillifero, suffectus est die decima octava Aprilis an. MCCCLXXV., *Nicolao de Monacis infidelitatis convicto* (1), *in officio*

(1) Idem Ammiratus *lib.* XIII. *pag.* 692. ad annum 1375. ait: *il quale* (Gonfaloniere Bonaiuto Serragli) *cassò Niccolò Monaci stato Cancelliere della Signoria molti anni per essergli stato contro in al-*

eiusdem Reipublicae Secretarii, quo per annos triginta cum tanta eius laude perfunctus est usque ad extremum vitae suae diem, et tanta fide, atque eloquentia Principum tractavit secreta, ut Cancellariorum, *quos vocabant, exemplar esset; et omnium facile princeps* (1). *Qua de re iure meritoque ei aptari poterit quod de Tito Capitone iam Plinius II. dixerat:* Fuit vir optimus, et inter praecipua seculi ornamenta hono-

cune sue faccende, ed in suo luogo pose Coluccio Salutati etc. Hic in epistola ad Ludovicum Marsilium: *dum pendeo,* inquit, *animi, ecce nescio quo fato me totius rei ignarum patria per ruinam optimi viri ser Nicolai ser Venturae ad officium Cancellariatus extollit etc.*

(1) Nullus adhuc nostrorum *de Reipublicae Florentinae Secretariis* historiam texuit. Tantorum Virorum illustrium nomina id exigunt, quos inter noster *Colucius, Leonardus Brunus, Carolus Marsuppinius, Poggius Bracciolinius, Benedictus Accoltus, Bartholomaeus Scala, Marcellus Virgilius Adrianius, Nicolaus Machiavellius, et Franciscus Campana,* viri ubicumque doctissimi. Volenti facillima res est, cum in promptu sint documenta, immo redundent.

randus; colebat studia, studiosos amabat, fovebat, provehebat, multorumque qui aliqua componebant, portus, sinus, praemium, omnium exemplum, ipsarum denique litterarum iam senescentium reductor, et reformator.

Tandem, ut cetera silentio praetereamus, senio confectus, officiique sui gravi pondere pressus septuagesimo aetatis suae anno sexto, conlacrimantibus omnibus, obiit quarto Nonas Maias an. MCCCCVI. (1), *et summo honore ex Decreto Publico, stipantibus Vexillifero Iustitiae, ac Reipublicae Prioribus, et cunctis civibus, in Aede Maiori Florentina*

(1) Iulius Niger, qui *pag.* 128. *Script. Flor.* memoriae tradit die XII. Maii obiisse, allucinatur, cum omnes die quarta eiusdem mensis, et anni id evenisse testentur. Ita Boninsegnus *lib.* IV. Histor. Flor. *A di 4. di Maggio morì ser Coluccio Pieri* (di Piero) *suto Cancelliere del nostro Comune più di trenta anni, uomo di gran virtù, e scienza ec.*; ita Sozomenus T. XVI. Script. Ital. *Colutius Pieri de Stignano etc. die IV. Maii diem obiit Florentiae, vir summae probitatis, et benedictionis*; sic ceteri omnes, qui de eo verba faciunt.

laureo serto coronatus, sepultus est, honoris profecto genus rarissimum, et quod nemini fere concedi solet. In Chronico ms. Domni Lucae de Scarperia Monachi Vallis Vmbrosae funebris haec pompa amplo, veridicoque stilo describitur: „ A dì 4. di Maggio 1406. si morì Messer Coluccio Pieri Cancelliere del Comune di Firenze istato più di trenta anni. Fu costui buono, e fedele, e leale del Comune, e pieno di molte virtudi. Fu costui uomo allegro, e lieto, e piacevole, e del suo ufficio molto grazioso, e molto era amato da chi praticava con lui. Costui fu de' migliori dittatori di pistole al mondo, perocchè molti quando ne potevano avere, ne toglieano copia. Sì piacevano a tutti gl' intendenti, e nelle Corti de' Re, e di Signori del mondo, e ancora de' Cherici era di lui in questa arte maggiore fama che di alcuno altro buono. Era costui ancora ammaestratissimo di scienza poetica, e dopo la sua morte si trovarono di lui più libri da lui fatti di quella scienza. Di che li Fiorentini conoscendolo per merito

della sua virtù, impetrarono dall'Imperatore più anni dinanzi, ed ebbonlo, di potere coronare in poeta d'alloro, e costui fu desso; perocchè quando egli fu morto, e fu nella bara, gli Signori Priori, e il Gonfaloniere della Giustizia gli donarono una ghirlanda d'alloro, di che tutto il popolo ne fu lieto, e contento, e tutti gli cittadini lodarono questo, dicendo ch' egli il meritava. Poi comandarono i Signori a tutti i cittadini, che da quell' ora innanzi il chiamassono Messer Coluccio Poeta, e tutti i cittadini l' ubbidirono. Poi li Padri li fecero grande ornamento alla bara. E poi di molta cera alla Chiesa, e fu seppellito in S. Maria del Fiore, ovvero Santa Liberata (idest S. Reparata), *che si chiami* (1), *ed ancora portò dinanzi un*

(1) Reprehendendus est Pocciantus, qui de *Scriptoribus Florentinis* agens, in templo S. Romuli honorificis exequiis reconditum fuisse asserit; tamen dicendum est quod adhuc vivens Colucius in illa Aede sibi construi fecit sepulcrum, in cuius lapide erant antiquitus haec verba insculpta: *Ser Colucii Pierii de Salutatis, et suorum.*

grande gonfalone dell' Arme del Popolo, cioè, la Croce; ed ancora ordinarono gli Signori, che una bellissima sepoltura di marmo gli fosse fatta dal Comune nella detta Chiesa ". Vivianius etiam Nerii de Franchis Scriba Reformationum in suo, quem dicimus, Priorista *iam in Bibliotheca Guadagnorum, ut ocularis testis, quae sequuntur, narrat: " Ser Colucius etc. decessit die IV. mensis Maii in die Martis de sero, et die sequenti honorifice sepultus, et laureatus per me Vivianum Nerii de Franchis Scribam Reformationum Populi, et Communis Florentiae, Commissarium Dominorum, et Collegiorum, super bara mortuus super platea de Peruzis facto per me super materia sermone iuxta corpus, praesentibus Collegiis, et omnibus militibus, et doctoribus civitatis, et imposui ibi lauream, et de lauro, ut poetae. Vir quidem insignis, et altae scientiae fuit, in agibilibus doctus, naturae optimae, et rectus, et conscientiae timoratae, et de cuius servitio bene sociatus fuisset qui-*

libet Principatus. Sepultus fuit in maiori Ecclesia Florentina, et drappellonibus Communis, et suis, et Artis, et Communis Buggiani, et doppeNriis multis fuit corpus, et funus multipliciter, et merito honoratum etc.„ Ast non tantum sepulcrum non extruxerunt, ut decrevere, etenim non apparet, sed nec in quo templi situ condiderint, innotescit; quod idem usque adhuc dici poterat de Magnifici *Laurentii Medices exuviis in Basilica Laurentiana ignoto in loco conditis, nunc a nobis detectis, et marmore in Sacrario anno* MDCCCXX. *apposito, indicatis* (1).

(1) Hac in re studium, et cura Monachorum, quae in Clericis desideratur, magni facienda est. En exemplum, et testimonium sepulcri Angeli Politiani in Aede S. Marci Ord. Praed. strictioris observantiae conditi depromptum ex Necrologio, cui titulus est; *Index Sepulchrorum Ecclesiae S. Marci* signato litera *A.*, conscripto a P. F. Ruberto Vbaldino de Galliano tunc temporis templi S. Marci Aedituo anno MCCCCXCIV. *Ne memoria oblivioni detur omnino ubi iacet corpus clarissimi, ac doctissimi, et eloquentissimi viri Domini Angeli Politiani Cano-*

Eius mortem amarissime deflèvit Leonardus Brunus Arretinus in epistola

nici Cathedralis Ecclesiae Florentinae, hic mihi Fratri Roberto visum est et iustum, et bonum annotare locum sepulturae suae, quoniam et teneor, cum fuerit ipse mihi olim magister, et ego illi discipulus, et eius infirmitati frequenter interfui una cum Venerando Patre Fratre Dominico (Bonvicinio) Pisciensi familiari suo, ac etiam morti eius, imo, et qui post mortem ipsius propriis manibus ex commissione Rev. Patris Hieronymi Savonarolae Ferrariensis Generalis Vicarii tunc Congregationis nostrae S. Marci, dedi eidem habitum Ordinis nostri, et indui corpus eiusdem habitu illo, quem antea in vita optaverat, et petierat, et sepulturam apud nos requisierat. Vnde et Domini Canonici Ecclesiae suprascriptae ad funus eius venerunt una cum omnibus Fratribus nostri Conventus, hic detulerunt corpus ipsius, de voluntate etiam suae sororis, et quorumdam nepotum ipsius, qui tunc aderant ea de causa Florentinae urbi, et pro tunc sub Deposito quodam in capsa una in Coemeterio secularium, quod iuxta Ecclesiam nostri Conventus est, et sub ea portione, quae in Coemeterio ipso est, et in capite portionis ipsius, iuxta Altare, quod ibidem est, fuit conditum ipsum corpus habitu nostri Ordinis vestitum. Sed post cum nullus at-

ad Nicolaum Niccolum, quae in earum collectione Florentiae *editarum an.* 1742. *omissa fuit:*

Leonardus Arretinus Nicolao suo salutem dicit.

Gravem, ac atrocem accepi nuntium, qui mihi magnum vulnus inflixit, sci-

tenentium suorum adimplesset quod dixerant faciendum sibi ornatum sepulchrum ad memoriale perenne, fuit sepultum in dicta capsa in sepulchro, quod ibidem est commune, ubi fratres sepeliunt eos, qui apud nos sepeliri petunt, et locum sepulturae apud nos minime habent. Obiit autem praefatus Orator summus, atque Poeta insignis de mense Septembris, credo quod in principio illius mensis, non tamen memoria mea hoc tenet adamussim, sed de anno Domini MCCCCXCIIII. *eo anno, quo Comes Mirandulanus, cuius etiam familiari consuetudine utebatur; et ante ipsius obitum per duos menses. Et obiit in domo horti, qui dicebatur* Giardinus Dominae Claricis *olim uxoris Magnifici Laurentii de Medicis; fuerat enim Praeceptor Petri filii maioris natu ipsius Magnifici Laurentii. Et haec ad memoriam rei sint.*

licet mortem patris nostri Colucii eloquentissimi omnium, et sapientissimi, quem ego multis lacrimis prosecutus sum ingenti cordis acerbitate. Non enim sine magno, inexplicabilique dolore, luctuque mors viri tam praestantissimi potest praetermitti, nisi velimus animi, aut cordis esse ferrei, aut immemoris tot, tantorumque officiorum, quae ipse, dum vixit, pro sua clementia, atque humanitate in nos contulit. Quamquam hoc quidem est nobis commune, quum multos quoque iste partim verbis amplissimis ornarit, partim sublevarit factis munificentissimis. Sed aliud quoddam est, quod nos omnes, qui sequimur studia huiusce humanitatis, compellat esse summo in moerore, ac luctu. Amisimus enim patrem, quem posthac non facile reperiemus. Amisimus virum studiorum omnium studiosissimum. Amisimus hominem nostri prae ceteris amantissimum. Amisimus portum, ac refugium omnium eruditorum, lumen patriae, Hesperiae decus. Vidimus multos, multa legimus de

quampluribus clarissimis viris. At uno in homine tot dona naturae, tantam vim doctrinae, tot denique virtutes congestas nunquam profecto invenire poteritis. In quo enim homine, ut omittam quantum iste valuerit vel sapientia, vel eloquentia, in quo, inquam, illius sanctissimi viri (non aliter appellandus a nobis) humanitatem reperies, affabilitatem, clementiam, festivitatemque, qua cum condirentur sententiae, et senectutis auctoritate, nil nobis eius consuetudine, ac colloquio quibat esse iucundius. Vt omittam, quod pater communis erat omnium, et amator bonorum, quale illud, quod omnes, in quibus conspiciebat lumen ingenii, non solum verbis incendebat ad virtutem, verum multo magis cum copiis, tum libris suis iuvabat, quos ille tamquam pleno copia cornu non magis usui suo, quam ceterorum, esse volebat (1). *Ego tibi ea narro, quae tu*

(1) Octingentos codices, quos Colucius collegerat, eo mortuo, eius filii pretio commutarunt, teste

multo, et prius, et melius nosti, quam ego. At iuvat in Coluccio nostro versari, cuius de virtutibus, singularique eius in nos zelo, de munificentia, liberalitate, vitae sanctitate, deque suae totius aetatis cursu, si vita supererit, alias latius conscribemus (1). *Vale.*

Fuit Colucius, teste Philippo Villa-

Poggio Bracciolinio: *Ex libris*, inquit, *quos homo nequaquam opulentus, et rerum persaepe inops supra octingentos codices summo labore, et diligentia comparaverat*; sic ipse in Oratione funebri Nicolai Niccoli, in qua haec addit alio in loco: *Coluccii nostri ad omnia ingenii singularis volumina, quae Nicolai libros numero ferme aequabant, filii vendiderunt.*

(1) An revera hanc vitam Brunus confecerit, ignoramus. Ipse Brunus in epistola I. lib. II. *Epistolarum* suarum respondet amico suo Nicolao Niccolo hoc postulanti: *Quod autem de Coluccii laudatione significari tibi postulas, procedit sane opus satis, ut mihi videtur, luculente.* Ast cum paulo inferius dicat: *stamina ipsa, et fila nescio ob rei ipsius, de qua agitur, vel ingenii, vel utriusque simul paupertatem mirifice me destituunt ad id, quod exorsus fueram, pertexendum*, suspicioni datur locus nunquam eam ab eo perfectam fuisse.

nio, staturae plusquam mediocris, licet aliquantulum recurvus incederet, facie vero rotunda, latis, pandentibusque maxillis, tristis, ac severus aspectu, mirabilisque constantiae (1). *Ex Pieria de Luporis de Castro Pisciensi uxore*

(1) Eius constantiae specimen in obitu duorum adolescentium filiorum, nempe, Petri, et Andreae nobis praebet Iannoctius Manettius in suo *de Illustribus Longaevis* libro typis nondum tradito: *In funeribus eorum*, sic ait, *ita modeste se gessit, ut non modo lacrimas non emitteret, sed etiam domesticos flentes egregie consolaretur, idque praecipue in obitu Petri qui unica spes sua esse videbatur, fecisse dicitur. Ab eius namque latere toto aegrotationis suae tempore nunquam discedebat, ut extremum filii spiritum forte hauriret, quem ut toto pectore accepit, illico supinum cadaver statuit, palpebras oculorum propriis manibus composuit, labia clausit, manus insuper, et brachia in crucem constituit. Ad extremum quum vultum eius etiam, atque etiam intueretur, nullum maestitiae signum, mirabile dictu, exinde discedens prae se tulit, atque haec omnia ipse in epistola quadam, in qua de acerba huius filii sui morte ad amicum consolantem rescribit sese fecisse testatur*. Eius effigies vivis coloribus depicta extat in fronte Codicis Laurentiani 18. *Plut.* LIII.

sua decem filios habuit, idest, Bonifacium, Henricum, Salutatum, Andream, Petrum, Philippum etc.

Quibus breviter praemissis ad rem veniamus. Cum Antonius Luschus Vicentinus, vir ceteroquin doctissimus (1),

(1) De Antonio Luscho, de eius doctrina, ac in pangendis latinis carminibus celebritate perhonorifica mentio est apud Poggium Bracciolinium in libro *de Varietate fortunae*, atque apud alios, praesertim vero apud Card. Angelum Mariam Quirinum in Diatriba praeliminari ad Francisci Barbari Epistolas, et apud *Vicentinos scriptores* P. Angeli Gabrielis a S. Maria, ubi *pag.* 222. - 239. satis diligenter eius opera singillatim enumerantur, quamquam ipse a Clar. viro Iacobo Morellio Bibliothecae Marcianae Praefecto in epistola *Vol.* III. *pag.* 150. *Opusculorum* Cl. Io. Bapt. Vermiglioli appelletur *inetto, e ridicolo scrittore.* Et revera inter alia asserit *pag.* 230. Luschum fuisse anno 1403. Ioannis Galeatii Mediolani Ducis Cancellarium, cum paullo post *pag* 240. dicat eumdem Galeatium mortuum iam fuisse die tertia Septembris 1402. Adhuc Vicentiae floret splendidissima, nobilissima, ac perantiqua Luschorum familia. Anno MDCCCVI. Florentiae obiit Alphonsus de Luschis maximae spei iuvenis, ut videre est in inscriptione posita in claustro maiori Divae ab Angelo Annunciatae etc.

seculo decimoquinto ineunte Florentini nominis gloriam stulte, ac temere, multis contumeliis, et iniuriis, impetu quodam mentis, et voluntatis, *ut verbis utar ipsius Colucii, deterere, ac dilaniare ausus esset in oratione, quae incipit*: Illucebit ne unquam dies (*Flo-*

A . ☧ Ω

Alphonso. Cómiti. De. Luschis. Patricio. Vicentino. Nicolai. Viri. Cl.. Et. Lucretiae. Martinengo. Colleonis. Patriciae. Brixiensis. F. Adolescenti. Venustate. Gratia. Moribus. Ornatissimo. Et. Maximae. Spei. Qui. Natus Prid. Id. Mar. A. R. S. MIↃCCXCI. Graphicen. Geometriam. Declamationem. Poesin. Adeo. Coluit Florentiae. Vt. Adhuc. Impuberem. Ingenio Et. Indole. Praecellentem. Doctores. Ipsimet Mirarentur. Sed. Eheu.. Meseraico. Ingruente Morbo. Perculsus. Annum. Agens. XV. Fortis. Animo. Et. Religione. Potens. E. Vita Migravit. VIII. Id. Ian. MDCCCVI. Pater. Maerentissimus. Ad. Doloris. Sui. Lenimentum. Filii Sibi. Praerepti. Formam. Matri. Simillimam Cito. Revisurus. In. Optima. Coniuge. Heic Prope. Tumulum. Eius. Materterae. Iosephae Sagramoso. Bra. M. P. C.

rentini) perditissimi cives, patriae vastatores, et quietis Italicae turbatores, quo dignam vestris sceleribus poenam, meritumque supplicium consequamini? (1), *condignam tanto scelere luere poenam meritus est: nam Colucius a quodam amico suo, de quo inferius, ve-*

(1) Vt lector noster ictu oculi eius procacitatem agnoscat, addimus quod illico sequitur: *Dabitur ne aliquando vestrae cuiuspiam calamitatis insignis exemplo, sic vestri similes deterreri, et sic in aerumnis vestris suum formidare discrimen, ut calamitas illa videatur non solum iusta in ultione, sed etiam utilis in exemplo? Erunt ne ullo tempore sic vestra detecta, atque delusa praestigia, in quibus omne vestrum praesidium collocatum est, ut oculatae ceterae gentes appareant, vos, ut estis vanissimi, et caecutientissimi videamini?* Hoc ferme eodem scribendi modo, ne dicam, viliori procacitate utuntur, qui hodie Academiae nostrae, vulgo *della Crusca*, adversantur. Ast sciant, nec ignorare queunt, Colucio non impares adhuc esse apud nos, qui huiusmodi Luschorum maledicta cum maiestate simul et elegantia, cum leporibus lepidissimis, dictisque salsissimis, et pungentibus irrisionibus mordacissime retorqueant. Clament, itaque, obstrepant, increpent, invehant, et quidquid lubet, contra eam evomant, aerem semper verberabunt.

hementissime increpatus, et excitatus, ne longius abiret inulta eius procacitas, hanc exaravit invectivam, qua graviter, et eleganter pro patriae caritate, patriique honoris reparatione eius audaciam confregit, repressit, retorsit, et iurgia iurgiis, contumelias contumeliis non impari stilo commutavit (1). *Et revera quid audacius, quid impudentius quam Florentinos, et urbem nostram* Italiae faecem *appellare? Cui obtrectatori haec Colucius respondit, urbis splendorem, amplitudinem, ac nobilitatem exponens.„ Quaenam urbs non in Italia solum, sed in universo terrarum orbe est moenibus tutior? superbior palatiis? templis ornatior? formosior aedificiis? quae porticu clarior? platea*

(1) Titulus Codicis Laurentiani huiusmodi est: *Lini Colucii Pierii Salutati contra maledicum, et obiurgatorem adversus Florentinos invectiva.* Codic. vero nostri: *Contra maledicum, et obiurgatorem, qui multa pungenter adversus inclytam civitatem Florentiae scripsit Linus Colutius Preti* (Pierii) *Salutatus*.

speciosior? viarum amplitudine laetior? quae populo maior? civibus gloriosior? inexhaustior divitiis (1)*? cultior agris? quae situ gratior? salubrior coelo? mundior coeno? quae puteis crebrior? aquis suavior* (2)*? operosior artibus? admira-*

(1) Cives etiam auro, et argento praepollebant. Vnum tantum inter tot sit exemplum erutum ex quibusdam autographis recordationibus Magnifici Laurentii de Medicis editis in libro cui titulus *Prodromo della Toscana illustrata, Livorno* 1755. *in* 4. Hic inter cetera *pag.* 193. ait: *Piero nostro Padre passò di questa vita a' 2. Luglio* 1469. *ec. Non volle far Testamento, ma fecesi l'Inventario, e trovammoci allora il valsente di scudi* 237988. *come appare a un libro verde grande di mia mano in carta di cavretto a c.* 31. Paulo post *pag.* 194. *Gran somma di danari trovo, che abbiamo spesi dall' anno* 1434. *in quà, come appare per un quadernuccio di quarto foglio. Si vede somma incredibile perchè ascende a Fiorini* 663755. *tra limosine, muraglie, e gravezze, senza l'altre spese, di che non voglio dolermi; perchè quantunque molti giudicassin meglio avere una parte in borsa, io giudico esser grand' onore allo stato nostro, e paionmi ben collocati, e sonne molto ben contento.* Sententia vere digna tanto Viro.

(2) Romanorum tempore de longinquo Floren-

bilior omnibus? quae nam villis aedificatior? oppidis potentior? municipibus numerosior? agricolis abundantior? quae civitas portu carens tot invehit, tot emittit? ubi maior mercatura, varietate

tiam deducebantur aquae per meatus subterraneos, et per arcus magnifice substructos, quorum nonnulli *ab Arce*, ut ait Gorius, *cui vulgo nomen* Castel S. Giovanni, *recta iter tenentibus ad Pontem* Rifredi *dictum*, *per multos passus occurrunt*, *atque e terra caput suum proferunt vestigia aliorum Arcuum eiusdem aquaeductus*. Duo ex his arcubus ad haec usque tempora extabant prope *Munionis* flumen, de quibus plura scripsere Mannius in libro *de Thermis Florentinis*, Lamius in prolegomenis ad suas *Lectiones*, et Gorius ne ulla temporum fulminum, ac terraemotuum ira, vis, calamitas eorum deleret memoriam, illorum Arcuum non Ichnographiam tantum, sed Scenographiam fieri fecit, quas T. III. *Inscript. Florent.* retulit; et hoc dumtaxat eorum schema, et memoria extabit in perpetuum, semperque apparebit antiquae apud Florentinos Architecturae, quae dubio procul Augusti aevum redolet, et maiorum nostrorum splendoris, et magnificentiae praeclarum exemplum. Ast si nulla temporum, fulminum, ac terraemotus ira, vis, calamitas eis non nocuit per decem, et octo secula, nocuit ignorantia, nocuit avaritia, quae Arcus illos anno elapso destrui fecit.

rerum copiosior? ubi nam viri clariores? et uti infinitos omittam, quos recensere taedium foret, rebus gestis insignes, armis strenuos, potentes iustis dominationibus, et famosos; ubi Dantes? ubi Petrarcha? ubi Boccaccius? etc.,,

Invectivae huius omnium primus mentionem fecit Philippus Villanius, dein, praeter alios vetustiores, Iannoctius Manettius in opere inscripto Illustrium Longaevorum *in sex libros distributo, quod adhuc, ut diximus, ineditum prostat in codice membranaceo Vaticano-Vrbinate, in quo legitur:* Invectivam (*Colucius*) contra Antonium Luschum, a quo Florentini populi nomen multis contumeliis, et iniuriis lacessitum fuerat, graviter simul, atque eleganter, respondendi gratia, composuit. *Mentio denique habetur in sequenti tetrasticho in eius laudem, quod extat in codice* XIII. *chartaceo Bibliothecae quondam Gaddianae, nunc vero Mediceo Laurent. Plut.* 90; *Inf.* pag. 28. *ex quo itidem constat situm fuisse Florentiae in domo Artis Iudicum, et Notariorum, editumque fuisse*

a scientifico viro ser Dominico Silvestri Notario Florentino:

Exprimit Herculeos Coluccius iste labores (1),
Distinguit fatum (2), pertractat relligionem (3),
Invehit in satrapas, patriae ius, fasque tuetur,
Et Cynici calamo perimit convicia Lusci.

Etsi vero tam in nostro, quam in altero huius Invectivae codice, de quibus paulo inferius, non pateat tempus, excepto die III. Idus Septembris *in utroque designato, quo Colucius noster eam di-*

(1) Idest, *de Laboribus Herculis ad Mag. Ioannem de Senis Trivii doctorem egregium*. Extabat paucis ab hinc annis hoc opus inter Codices Bibliothecae Guadagnorum.

(2) *De Fato, et Fortuna ad Felicem Abbatem Monasterii S. Salvatoris de Septimo Ord. Cisterc.* In Bibliotheca Laurentiana *Plut.* LIII. Cod. XVIII. adservatur. Hoc in opere Astrologorum praestigia, et vanitatem redarguit.

(3) *De Seculo, et Religione ad Fratrem Hieronymum Ord. Camald. in Monasterio S. Mariae de Angelis de Florentia*. Hunc codicem se vidisse testatur Mabillonius T. 1. *Mus. Ital. pag.* 183. in Asceterio Vallumbrosano; extat etiam in Biblioth. Laurentiana *Cod.* IV. *Plut.* LIII. Nec credas haec tantum, quae in tetrasticho recensentur, edidisse.

ctaverit, tamen id evenisse septuagesimo tertio aetatis suae anno, idest, anno MCCCCIII. *exeunte, ex Scriptorum Florentinorum Memorabilibus eruitur, quae imperfecta reliquit Cl. Franciscus Cionaccius in codice chartaceo* XLV. *Bibliothecae Magliabechianae* Class. IX. *Ex ipso pariter apparet eamdem anno* MDCXVI. *ab Alexandro Adimario, viro praestantissimo, fuisse Italice versam, cuius versionis prorsus ignotae Mazzuchellio excerpta erant in quodam Adversariorum volumine Bibliothecae Guadagniae, quod cum ceteris magni vis pretii codicibus paucis ab hinc annis divenditum est, ne dicam deperditum, aut in exteras oras translatum, ut saepe saepius maxima cum litterarum nostrarum iactura evenire solet.*

Ast de Codicibus, quibus usi sumus, verba faciamus. Duos tantum adhuc servari, unum, nempe, in Regia Parisiensi Bibliotheca inter codices Colbertinos sub. num. 5122, *alterum Mediolani in Ambrosiana, testatur* pag. XXVI. *Mazzuchellius in animadversionibus ad Co-*

lucii vitam, ut iam dictum est, a Philippo Villanio editam. Sed modo nec in una, nec in altera. Quod ad Colbertinum codicem attinet, a veritate non aberrat; nam Laurentius Mehus in Praefatione ad litteras Ambrosii Traversarii pag. *ccxcix. se illum Parisiis vidisse, ex eoque nonnulla notatu digna decerpsisse, testatur; testatur et Stephanus Balutius T. 1.* pag. 1473. Pap. Avenon. in Addit. *ex quo pariter quae ad Regem Ludovicum Andegavensium Ducem spectant, deprompsit. Quod ad alterum, nempe, Mediolanensem codicem, certum, indubitatumque est ibi nunquam extitisse; cuius rei testimonium nobis attulit March. Ioannes Iacobus Trivultius, vir non tam avita generis amplitudine, quam humaniorum studiorum cognitione maxime spectandus. Asserit tamen in ea reperiri quasdam eiusdem Colucii invectivas, seu declamationes* Super facto Lucretiae Romanae, *saeculo xv. scriptas, quae pariter inter codices Laurentianae, et Riccardianae Biblio-*

thecae servantur. Quid igitur de codice Parisiensi antea Colbertino? Teste Iosepho Vanpraet, viro celeberrimo, illiusque Regiae Bibliothecae Praefecto meritissimo in ea amplius non extat, ut ex eius epistola ad praelaudatum Trivultium constat, qui nostris precibus eum interrogare non renuit, nec dedignatus est. Ne tempus itaque teramus, en paucis lineis codicis huius historiam. Ex Galliis Florentiam tempore novissimorum tumultuum, quorum diutina atrocitate, ac universali contagio natura ipsa horret, delatum fuisse patet cum aliis nonnullis magnivis pretii codicibus, et auro commutatum. Quae cum nobis perspecta essent, pretio, etiamsi gravi, redimere, ne iterum deperditus in alienas oras abiret, conati sumus, quod iuxta nostra vota evenit. Nec tamen hac in re sic dicendo credas tamquam indubiam nos prodere sententiam nostram, cum eam plausibili fulcimento suffultam pro arbitrio proponimus. Codex vero hic in fol. min. Seculo xv. ineunte conscriptus,

membranaceus est, et pagg. sexdecim supra centum scriptis constat; Colucii invectiva, membratim per codicem disposita, nigro, altera vero Antonii Luschi rubro colore distinguitur: ut dicendorum, *Colucius ait*, ordinatio pateat, ponam prius adversarii verba, sicut scripsit, ad literam de membro in membrum, et articulatim ad ea, quae dixerit, respondebo. *Primo intuitu nitidissimus, ast lectu perdifficilis, cum evidenter Gallica manu conscriptum fuisse pateat. Vtinam saltem sine mendis, et absque offendiculis esset, imperitia, incuria, et ignorantia librariorum, ut saepe saepius evenit, ut in nostro, inductis* (1); *quibus*

(1) Colucius noster manuscriptorum corruptionem flebilibus deplorat modis in suo ms. libro *de Fato, et Fortuna* Cap. 6. *secundi Tractatus*; dein de mendorum origine verba faciens dicit: *Late siquidem, et ubique corrupta sunt omnia, et dum librarii per evagationem mentis, et capitis levitatem inadvertenter omittunt, dum temerarie mutant quod non intelligunt, dum plerumque glossulas ex librorum marginibus, et interliniis veluti scribenda recolligunt, nullum omnino textum philosophorum, moralium, historicorum, vel etiam poeta-*

reparandis, favente fortuna, in auxilium accurrit alter unicus Laurentia·

rum non corruptissimum reliquerunt. Quod quidem crimen non ipsis librariis solum, qui per inscitiam suos libris infigunt errores, sed legentibus potius, et illis praecipue, qui non prorsus ignari sibi se scire, quod latum ignorantiae vestibulum est, corrupto iudicio persuaserunt, adscripserim. Hi quidem dum rebus non intellectis haerent, dum, quasi monstra sint, mirantur stupidi, quae non capiunt, dum accommodatum aliquid intellectui, ne dicam ignorantiae suae sensum conantur extundere, dum non ignorationi suae, sed librariis, forte etiam (tantam crediderim ignorantiae temeritatem) ipsis auctoribus adscribunt, quae non intelligunt, praesumptuosas in libros manus iniiciunt, et aliquando litterarum, quandoque syllabae, et aliquoties dictionum mutatione tum detrahentes aliquid, tum addentes, non solum alienant textus, mutantque sententias, sed omnia usquequaque pervertunt. Quid referam deprehensam quorumdam malignitatem, qui, quo suis erroribus adstipulatores habeant, de industria dicuntur maximae auctoritatis libros corrupisse, qualia crediti sunt haeretici quamplures in libris Origenis Adamantii machinati? O quoties vidi magistros nostri temporis non emendationes, sed menda suis annotasse manibus! et ea, dum corrigere cupiunt, adscripsisse, de quibus, si in discussionem venerint, nullam possent reddere

nus codex antea Gaddianus (Plut. LXXXX. sup. Cod. XLI.) *pariter et ipse, mi-*

rationem; sed oporteret eos omnino fateri se congruam destruxisse sententiam, aut si sensus integer manserit, tum graviora, tum magis idonea vocabula delevisse. Adcedunt ad hoc etc. Haec ex Codice Laurentiano XVIII. Plut. LIII. Idem dicendum est de imperitis editoribus. Ant. Franciscus Grazinius cognomento *il Lasca* in festiva sua lectione, cui titulus *Lezione o vero Cicalamento di Maestro Bartolino dal Canto de' Bischeri* (Bischèri) *letta nell'Accademia della Crusca sopra il Sonetto*

Passere, e beccafichi magri arrosto

in Firenze per Domenico Manzani 1583. *in* 8. ait ad rem nostram *pag.* 4., *che dovendola stampare* (questa lezione), *egli era molto meglio stamparla quì piuttosto in cattiva forma, e corretta, che altrove in buona, e scorretta ec. e siate sicuri che se mai ella si ristamperà in altre luogora, che voi lo vedrete; imperciocchè chi non intende la proprietà delle voci, pensa che l'opera sia scorretta, e spesso spesso, in cambio di racconciare, storpia di fantasia, e la sperienza delle cose storpiate ce ne fa veracissima testimonianza ec.* Et alibi post laudes, quas ipse tribuit Arti typographicae, subiungit: *nondimeno e' porta seco questo tra gli altri, che non è piccolo inconveniente, che ogni giorneo, et ogni goffo volendosi mettere a far non solo lo stampatore, o lo stor piatore, ma il Satrapo, e 'l Prisciano al correggere, fanno dire all'opere de' galantuomini cose che non furono pur mai pensate da loro.*

nus tamen, mendosus, nonnullisque lectionibus varius, quas ad calcem libri reponemus; ast utrisque per amicum nostrum diligentissime collatis patuit, quod in multis mutuam sibi opem praebeant; et si quid humanae infirmitatis in uno inveniatur, ab altero alterna vice saepe saepius sanetur.

En tandem epistola, quae in utroque codice Invectivam subsequitur, ad Petrum Turchum Cancellarium Asculanum, qua Colucius eius hortatu, eiusque solicitationibus eam, ut superius diximus pag. XXXII., *se scripsisse declarat.*

Ad Petrum (1) *Turchum*

Iussisti, vir insignis, filique carissime, quod obiurgatori illi petulantissimo, qui

(1) In Cod. XLI. Laurentiano *Plut.* LXXXX. Sup. *pag.* 150. adest Epistola Colucii Salutati *Insigni Viro Petro Turco Asculano Cancellario;* adest et altera eius in eodem codice ad Magnificum Dom. Malatestam de Malatestis, quae sic incipit: *Gavisus sum, magnani-*

Florentinorum nomen, et gloriosissimam hanc patriam tam insolenti maliloquio pupugit, gloriamque, sicut arbitror, iniuria nostra quaesivit, iuxta suae insaniae merita responderem. Quod quidem cum viderem rebus magnum, oratione longum, obiurgandique necessitate fecundum, licet patriae moveret iniuria, debitumque, quo tenemur, huic mysticae genitrici(1), *cui quid-*

me Malatesta, vir Dominorum, qui gubernacula rerum possident singularissime, quod dilectissimus frater meus eloquio insignis, et multarum rerum scientia fecundus Petrus Turcus per te fuerit ad Tuae Dominationis servitia revocatus ec. Alteram Colucii epistolam eidem scriptam edidit ex codice Riccardiano praelaudatus Thomas Tonellius in Appendice ad Vitam Poggii Bracciolinii etc. *T.* II. *pag.* III.

(1) Ad patrii nominis reparationem ab invidis obiurgatoribus lacessiti nunquam inter nos ad haec usque tempora defuere acerrimi propugnatores, quos inter, ut de antiquis tantum loquamur, Bartholomaeus Scala a secretis Reipublicae Florentinae, qui opusculum edidit inscriptum: *Apologia contra Vituperatores Civitatis Florentiae* ibi impressum

quid impenderimus, non possumus non obligati magis, atque perpetuo remanere, cogeret, et urgeret, steti dubius, quidnam facturus essem. Dicebam, enim: Quid, Line Coluci, facies? An septuagenarius (Februarius, enim, mensis septuagesimum, et tertium adducet annum (1)), *qui neminem hucusque tuo nomine, nisi iocose laeseris, incipies, discedens ab habitu tam longae consuetudinis, insanire? Tu ne*

ex archetypo XI. Kal. Octobris 1486. Leonardus Brunius *de Nobilitate Florentinae urbis libellus*. Fridericus Albertius: *Le difese dei Fiorentini contra le false calunnie del Giovio. In Lione* 1566. *per Gio. Martino in* 4. Quos inter locum habet etiam Paulus Minius, qui Lugduni anno 1577. *Typis Philippi Tinghi* librum edidit, cui titulus: *Difesa della Città di Firenze, e de' Fiorentini contra le calunnie, e maldicenze de' maligni in* 8.

(1) Cum eadem Invectiva data sit *Florentiae III. Idus Septembris* anno, ut vidimus, 1404., consequitur a Colucio elucubratam fuisse exeunte anno 1403, circiter tertium scilicet, eumdemque septuagesimum aetatis suae annum.

privatum stilum tuum, qui neminem hactenus offendit, ad mordacitatem invectionis translaturus es? Quae mecum agitans non poteram tuis hortatibus obsequi, durumque nimis videbatur invehendi procacitatem profiteri. Sed urgebant litterae caritatis tuae, dilectioque patriae requirebat, quod illam offensam iniuriis, oneratam maliloquiis, totque mendaciis accusatam sine defensione saltem derelinquere non deberem. Horrebam tamen Antonii Luschi nomen, quem scribebas in patriam illo scripto tam mordaciter invexisse, quoniam ipsum ut filium diligo, cupioque non patriae iniuria (1); *id, etenim, nemini possem optare, sed bonis artibus, et alia ratione, quod in clarissimum evadat virum. Et cum stilus satis ar-*

(1) Praelaudatus Laurentius Mehus in praefatione ad Litteras Ambrosii Traversarii inter magnam amicorum, et illustrium virorum copiam, quibus per litteras familiariter utebatur Colucius, etiam Antonium Luschum *pag.* cccv. recenset.

guat quod Luschus sit, tot tamen mendacia, quibus insultat, tot vitia, quae suam non decent eruditionem, quibus invectio sua scatet, tot maledicta, quot excandescit, sed imperitia potius, dissuaserunt, immo persuaserunt cum ipso mihi non esse sermonem. Equidem si habuissem eum refellere, dixissem invehens: Vnde tibi, Lusche, tanta procacitas? Tu ne Luschus Florentinos caecos(1) *vocas? Tu ne tot mendaciis po-*

(1) Cur veteres scriptores appellent, et dicant Florentinos esse *Caecos*, quos inter Dantes *Cantu* xv. *Inf.*

Vecchia fama nel mondo li chiama orbi, nescimus. Lombardi sententia, ceterorumque Dantis Commentatorum, si non vera saltem verisimilis haec, ut eius utar verbis, est: *Dicesi dai Comentatori originato il sopranome* (di ciechi, e d'orbi) *dal seguente fatto. Avendo i Fiorentini a preghiera de' Pisani guardata Pisa, mentr' erano questi passati alla conquista dell' isola Maiorica, ritornati vittoriosi i Pisani, in segno di riconoscenza offerirono a' Fiorentini, che delle prede di là trasportate si scegliessero qual delle due più loro piacesse, o due Porte di bronzo bellissi-*

tuisti innocentem hanc patriam insectari? Nonne sciebas ex hoc tibi mecum fore certamen? Putabasne pro filio, pro amico, dilectissimoque, quisquis fuerit, viro, me patriam relicturum, cuius caritas non solum omnes necessitudines amplexa est, sed praeterit, et excedit? Errabas, carissime Lusche, et quem publicae causae nostrae defensionis gratia videbas domino tuo publicis scriptionibus non pepercisse, sperare potuisti privatim provocatum causae meae, cunctorumque civium defuturum? Moneo, hortorque caritatem tuam, quod quieto, tranquilloque scribendi genere, non contentioso, boniloquioque, non maliloquio, cum refellendi, confutandique locos, et

me (che ora adornano il Duomo di Pisa), o due Colonne di porfido, che, perchè non si vedesse com' erano, guaste dal fuoco, coperte avevano di scarlatto: i Fiorentini cieeamente si capperono le due colonne, che sono (dice Paolino Pieri nella Cronica all' anno 1118.) *in Firenze dinanzi alla* Chiesa del Beato Giovanni Batista.

facultatem videas, sciasque non responsorem unum, sed plurimos esse posse(1), *gloriam quaeras, non unde scire possis, et debeas laudis incertus, et dubius, certissima tibi iurgia, indubitabilesque contumelias proventuras. Scio, tamen, quantum oneris adsumpserim, qui me, dictaque mea simili carpenda ratione qua tua pexerim, tibi, nec non et tuis exposui; sed in hoc volo potius, quodcumque futurum sit, discriminis incurrisse, quo corrigar, atque discam, quam deserere patriam, quam illum, sive Luschum, ut dicitur, sive quemvis alium dimittere, quod gloriabundus quasi victor, suis fruatur maliloquiis; voloque, si nostra sors viderit, et victoriam speret, congrediatur audacter; non, enim, labor erit, quoties provocaverit, respondere. Nunc, autem, ad te veniam, qui iuvenis se-*

(1) Invectivam alteram de qua paulo inferius, contra eumdem Antonium Luschum scriptam a Cino Rinuccinio, in medium ad calcem libri huius proferre statuimus.

ni demandasti, quod tu ipse facere debuisti. Gaudeo tamen hoc mihi fuisse reservatum, forte quidem alius non ita libere, et rerum gestarum nescius non potuisset ad quaedam apposite respondisse. Mitto, igitur, immo tibi remitto, sicut postulas, invectivam in nos factam, mittoque responsum, quod velim prius relegas, quam de prolixitate condemnes. Credo, quidem, te facile iudicaturum quo tot rebus idonee satisfacerem, cum ad intelligentiam, tum ad persuasionem brevius fieri non potuisse. Vellem, autem, apud te privatim esset, nisi maledici illius invectio prodisset in publicum. Tu, tamen, rei consule, et rescribe. Vale.

Florentiae III. Idus Septembris.

Dum ineptissimo huic proloquio finem hic ponere statueramus altera eiusdem furfuris invectiva contra ipsum Antonium Luschum, ad nos supervenit, cui hic locum dare operae pretium

duximus. Hanc prorsus omnibus ignotam, latine exaratam fuisse a Cino Rinuccinio (1) *eodem Seculo XV., et ab Anonymo synchrono in Tuscum sermonem inelegantissime tamen, mendoseque et cum frequentibus hiatibus translatam, patet ex rubrica, qua Codex initium sumit:* Risponsiva alla Invettiva di messer Antonio Lusco fatta per Cino di Messer Francesco Rinuc-

(1) Iulius Niger *pag.* 123. *Hist. Script. Florent.* de Cino Renuccinio haec ait: *Merita una comendazione particolare questo studiosissimo amator delle Muse ec.: non tanto per la passione, cui notriva per la Toscana Poesia, quanto per l' ardore, con cui studiossi imitare Francesco Petrarca, cui s' era proposto per esemplare; onde non è poi maraviglia, che i di lui componimenti guadagnassero l' ammirazione de' dotti, e 'l plauso dei suoi concittadini*. Non ita Marius Equicola, qui per errorem vocat eum *Cino Reminucci*. Iste in libro *Venetiis* edito anno 1525. *pag.* 5. cui titulus *della Natura d' Amore*, illum inter poetas incultos reponit inelegantioresque; ideoque a Cino nostro ad Franciscum Petrarcham tanta est distantia quanta

Dal faggio all' olmo, e dalla quercia al pino.

cini cittadino Fiorentino, e traslatata di Grammatica in volgare per . . . . . *Eiusdem Cini est et altera quae in Codice nostro eam subsequitur, quae inscribitur:* Invettiva contro a certi calunniatori di Dante, e di Messer Francesco Petrarca, e Messer Giovanni Boccacci, i nomi de' quali per onestà si tacciono, composta pello iscientifico, e circuspetto uomo Cino di messer Francesco Rinuccini cittadino Fiorentino ridotta di grammatica in vulgare: *Incipit*: Infiammato del santo isdegno fuggo la bella Italia passando Calavria, e pervenendo a Patrasso ec. *Plures hic imperitorum obtrectationes congerit in tres illos nostros poetas, easdemque infirmare conatur*. Le Storie poetiche (*inquit Cinus*) dicono esser favole da femmine, e da fanciulli, e che il non meno dolce, che utile recitatore di dette istorie, cioè messer Giovanni Boccacci, non seppe grammatica(1), la qual cosa io non credo esser vera, e de' libri del co-

(1) Nullus est qui nesciat Boccaccium scripsisse

ronato poeta messer Francesco Petrarca si beffano dicendo, che quel *de Viris illustribus* è un zibaldone da Quaresima ec. (1) *Paulo post de Dante:* Poi per mostrarsi litteratissimi al vulgo dicono: lo egregio, et onore de' poeti Dante Alighieri essere suto poeta da calzolai ec. *Eadem obiecit Leonardus Brunus Nicolao Niccolo illa in Oratione quam scripsit in* Nebulonem maledicum: *sic enim ait*: Itaque bellum indixit scurra nefarius cunctis praestantibus ingenio viris, nec viventibus modo, sed etiam mortuis. Nam et Dantem optimum, nobilissimumque poetam vituperare assiduo proprio convicio

latino sermone quindecim libros *de Genealogia Deorum*; *De Montium, Sylvarum, Lacuum, Fluviorum, Stagnorum, et Marium nominibus*; *De Casibus virorum, et feminarum illustrium*; *et de claris Mulieribus*; scripsit insuper carmina quamplurima latina.

(1) Contra Franciscum Petrarcham, nil ineptius, nil iniuriosius opere cui titulus: *Il Petrarca impugnato dal Petrarca, più maturi riflessi del Dott. Giampietro Pietropoli. Venezia* 1818. *in* 8.

non cessat, et de Petrarcha ita loquitur, quasi de homine insulso, et ignorantiae pleno, Boccaccium vero ita spernit, ut ne tres quidem litteras scisse illum asseveret etc. *Haec postrema, quamvis ad rem non faciant, et argumento fere extranea esse videantur, ne spernas, nam ea quae antea in tenebris latitabant, abrepta hac occasione, nunc per nos innotescunt.*

Haec satis benigno Lectori; obtrectatoribus autem, et invidis satis multa dicta sint. Isti vero quod sibi velint contra nos, contraque patriae nostrae caritatem, qua incessanter incendimur, evomant, stilum acuant, obstrepant, reprehendant, subsannent, et curas nostras in eruendis e tenebris Patrum nostrorum monumentis improbent; nos vero semper sententiae potius celeberrimi Card. Bonae quam eorum nugis, haerere curabimus, dicentis; utiliorem praestare operam Reipublicae literariae, qui eruendis e situ Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam

qui novos cudant libros; libri enim novi, si quid boni continent, ab antiquis mutuari solent. *Tu vero, Lector benevole, aequo animo adesto, et conatibus nostris favere pergito.*



INVECTIVA

COLVCCII SALVTATI

IN ANTONIVM LVSCHVM VICENTINVM

Fuit nuper per quosdam insignes, et venerabiles viros mihi transmissum invectivae cuiusdam exemplum, quod sumptum ab exemplari verissimo carissimi fratris mei Antonii Luschi Vicentini certissime dicebatur, quam aiebant, ut res ipsa docet, eum contra nomen, et gloriam Florentinorum, immo certissimum asserebant, impetu quodam mentis, et voluntatis mordaciter dictavisse; rogantes obnixius ut ob

patriae decus ad singula responderem. Ad cuius quidem rei annuncium, et hortatum, fateor me fuisse permotum ut scriberem, indignatione magis, an dolore nescio; me quidem utrumque simul invasit. Dolebam, enim, quod in meam patriam praesumeret aliquis maledicere, indignabarque Antonium meum gratis talem provinciam accepisse. Sed postquam scriptum illud legendo percurri, videns in maledictis illis nullum ordinem, nullum finem, nihil ibi probatum, nihilque penitus persuasum, et exordium, ut omittam vulgare, atque commune, clara ratione commutabile, quod scilicet inversis solum nominibus, magis appositum sit adversario quam scribenti, risi mecum, dixique: juvenis est iste dictator vel doctrina vel tempore, qui nullo dictionis vel rationis nervo, sed solo voluntatis impetu moveatur, qui sic adversarium maledictis oneret, quod si narrata negentur, inveniatur protinus nil egisse, sed oporteat eum alium orationis filum texere, et ab initio, quasi nil prorsus dixerit, omnia retractare. Puerile quidem est sic multa dicere, quod

unico negationis verbo causa de manibus auferatur. Non stat dicendi virtus in eo, quod solum dicitur, vel ipsius dictionis ornatu; sed si probes, si persuadeas, sique fidem facias, et irrefragabiliter dicas. Quid, enim, est sceleris, aut vitii, quod non possit de quocumque, licet omni vitio, crimineque careat, enarrari? Nec sufficit ad fidem ornatus, qui quidem falsis, et veris possit aequaliter adhiberi. Quibus firmissime teneo, sicut verosimili ratione coniecto, nunquam Luschum meum, qui non natura solum, sed eruditione, doctrinaque valeat, in tam futilis orationis nugas, vel tam mordacis obiurgationis petulantiam incurrisse, quamvis verba sic redoleant iuxta corticem, non medullitus, Ciceronem, quod difficile sit alium ab Antonio meo, qui talia referre sciverit, assignare. Cum, enim, sententiarum soliditas, et argumentationum vis desit, credere non possum hoc ab Antonio scriptum esse. Nam, ut alia omittam, quis credat gente Luschum caecutientes dicere Florentinos? Dimittamus, ergo, Luschum nostrum, et cum illo, quisquis fuerit, qui

Spartam hanc, ut Graecum proverbium habet, susceperit, contendamus. Perdo tamen occasionem pulcherrimam, et oratoribus exoptatam, cum adversarii persona, contra quam multa saepe dicere licet, auferatur. Vtar tamen in eum, quisque ille sit, utarque liberius, quia nescio plane qui sit, dignis pro meritorum suorum fraude nominibus, ut cum se viderit per universum huius responsionis nostrae corpus veris rationibus laceratum, poeniteat eum aliquando temeritatis, et audaciae suae, discatque parcius maledicere, cum contra se cognoverit semet ultionis debitae laqueum intendisse, ac unde stulte quaesiverit, ut arbitror, gloriam, infamiae turpis notam in se praeceperit esse conflatum. Compatior tamen stultitiae suae, qui se maliloquio suo prodiderit, cunctisque sua legentibus se cupiverit esse ludibrio; inscitiae quidem singularis documentum, et malae mentis perspicuum argumentum. Quis, enim, non ut inscium, et malignum irrideat homunculum quemdam os in coelum apponere, et unum populum, singulare decus

Italiae, quem metuant hostes, socii velut numen aliquod in terris degens colant, orbis universi principes multi faciant, legationibus visitent, cunctisque prosequantur honoribus, tam stulte, tam procaciter violare? Nescio videre tuae praesumptionis, aut ambitus rationem. Hominis est, enim, ut cuncti volunt tam Theologi, quam philosophiae studiosi, quidquid egerit, agere propter finem, vel propter aliquid, quod tandem in verum finem hominis reducatur. Nunc autem dic, obsecro, quem finem his obiurgationibus intendisti? Numquid in verum illum, et ultimum finem omnium, qui beatitudo perpes, et aeterna est, perpes dono, quod in tempore traditur, sed aeterna participatione, quoniam sine principio fuerit id quod detur, illa te dirigunt, vel perducunt? Contra caritatem quidem proximi, ni fallor, est, eum non diligere, quanto magis illi maledicere, vel famam eius etiam leviter maculare? Tu vero non unum quempiam, sed innumerabilem populum, gentemque non suis contentam moenibus, sed quae totum sparsa per orbem est, ve-

luti gloriosum aliquid non levi dicto, sed gravibus contumeliis insectaris. Quod equidem non credam ad ultimum illum pertinere finem, te, licet decipias, reputare. Cumque qui dixerit fratri suo *racham*, veritate teste, *reus sit iudicio*, quid te manet, qui tanto populo maledicas? Nec video cum pro domino tuo, et, fas sit vera dicere, pro tyranno contra civitatem liberam, et libertatis vindicem obloquaris, quem finem beatitudinis politicae maledictis intendas tuis. Nec cum, ut scripta testantur tua, non mediocriter eruditus esse videare, sine ratione tamen dicendi, quam te certum est vel parte minima non tenere, puto cogites, quod haec via sint, vel instrumentum ad speculationis apicem, vel virtutem; ut cum nullus tibi finium, qui laudantur, praepositus esse possit, restet, ut id hoc tamquam homo nullatenus sis locutus, sed ut animal, quod ratione penitus non utatur. Curasti forsan domino tuo placere, cui non crediderim fuisse gratum audire maliloquia, vel contextum tot, et talium falsitatum. Tanta quidem in illo circumspectio fuit, talisque

prudentia, quod quae veritati nixa non esse cognosceret, sine dubitatione videret, non solum cum infamia peritura fore, sed etiam in assentationem eius, qua nihil suspectius sapientibus dominis esse debet, vel malitiose, vel pueriliter ordinata. Nullus, ergo, tibi finis, nisi malitia frui tua; nisi latratu rabido, cum vitiosissimus esse debeas; talis est, enim, habitus mentis intus quales sermones produnt foris; latratuque foedissimo persequi virtuosos, ut rabidam bestiam te possim, si recte loqui voluero, vocitare; licet, enim, bestia sis; non tamen es cicuris, idest humana, sed rana, non simplex bestia, sed omnino bestia bestialis. Accedit huic inhumanitati tuae, vel, ut rectius loquar, procacitati, summa quaedam dementia. Nam cum stultum sit maledicere mortuis propter posteros, stultius est offendere vivos, licet aliquando morituri sint, propter utrosque, praesentes scilicet et futuros; stultissimum vero vivis maledicere, qui nunquam sint successione continua morituri. Talis est, ni fallor, populus Florentinus, quem difficile sit ad unum penitus interire. Capta

quidem, quod Deus avertat, dirutaque Florentia, tot sunt extra Florentiam Florentini, quod viris, et opibus novam possent alteris, vel refectis moenibus Florentiam excitare, quique, si, veluti loquacitate tua mereris, bellum indixerint, stultitiae tuae locum non tibi relinquent tutum, sed etiam in domini tui curia te conficere poterunt, et punire. Tutus, enim, vix in castris suis fuit contra Romanum unicum Rex Porsenna; nec in tabernaculo suo feminae manus evasit maximo comitatus exercitu dux ille formidabilis Holofernes. Sed haec relinquamus. Securus, enim, es, quoniam Luschus is, de quo dicitur, fuisse non crederis, et, si forte prodibis in medium, detegasque quis sis, vilitas, et stultitia tua te reddet omnibus inoffensum. Sed, his omissis, stilus ad id, quod intendimus, deflectatur. In cuius quidem rei principio, quoniam de te perpauca dixi, de me non est consilium subticere; docendus, enim, es, et quicumque nostra haec scribenda perlegerit, cur ego me defensioni, tuisque refellendis nugis, cum me non provoces, offeram, ne te videar

eadem, qua tu Florentinos libidine persequeris, impetisse. Scripsi praesentis orationis fronte me rogatum obnixius, quod in patriae decus deberem ad singula respondere, ut tam iusta rogantibus honestum non fuerit morem non gerere, sed vehementius tamen urget, tacens licet, patria, cui non praestare nullo modo possumus, quod debemus, ut armis meis ipsam protegam, nec in tam acerbae sigillationis iniuria derelinquam ipsam tot diffamatam mendaciis indefensam, ut sicut hactenus, commissa sequens dominorum meorum, publicae scriptionis officio causas incidentes, etiam cum hostium diffamationibus, ut iubebar, defendere sum conatus; ita nunc cum privata laceratur lingua, privatim tuear, et defendam. Quis, enim, patienter ferat, cum eius intersit, patriam, cui cuncta debemus, contra veritatem, ab eo cuius non intersit, tam turpiter diffamari? Vellem autem hanc causam coram aliquo principum inscribere, et ipsorum hostium oculis ventilare; vellem ipsos audire, qualeque principium mendaciis illis facerent, intelligere, quas probationes, et

argumenta sumerent; ornarem eos, ni fallor, meritis suis, efficeremque quod patriam verbis non laederent, quam adhuc non potuerunt, nec per Dei gratiam poterunt, etiam ea, quam tu iactas, potentia superare; cumque civis quilibet sit civitatis, et populi sui portio, non extraneus causam patriae, quam quilibet defendere tenetur, assumo, rogans quibus vacabit haec legere, quod me benigne ferant pro veritate, pro iustitia, pro patria disputantem. Et sicut moleste, vel, quod non arbitror, patienter impietatem adversarii tulerint, sic pietatem meam aequis animis, et patientissime ferre dignentur. Quoque dicendorum ordinatio pateat, ponam prius adversarii verba, sicut scripsit, ad litteram, de membro in membrum, et articulatim ad ea, quae dixerit, respondebo; ut cum unum elisero, mox alium cum sua confutatione subnectam. Incipis, ergo, venenum quod conceperas evomens, in haec verba, videlicet:

Illucebit ne unquam dies, perditissimi cives, vastatores patriae, et quietis Italiae turbatores, quo dignum vestris

sceleribus poenam meritumque supplicium consequamini? Dabitur ne aliquando vestrae cuiuspiam calamitatis insignis exemplo, sic vestri similes deterreri, et sic in aerumnis vestris suum formidare discrimen, ut calamitas illa videatur non solum iusta in ultione, sed etiam utilis in exemplo? Erunt ne ullo tempore sic vestra detecta, atque delusa praestigia, in quibus omne vestrum praesidium collocatum est, ut oculatae ceterae gentes appareant, vos, ut estis, vanissimi, et caecutientissimi videamini?

Principio quidem, sicut dictis verbis exprimitur, in huius orationis auspicio, tribus votis, velut accensus in iram, mirabiliter excandescens, non aliter quam si diras, quod extremae desperationis est, exoptes, et clames, Florentinis indignas poenas, immeritaque supplicia verbis acerrimis imprecaris. Cupis sic ipsos alicuius calamitatis exitio sui similibus exemplo fore, quod videntes metuant, et iusta sit pro factis ultio, nec non utilis in exemplo. Cupis sic nostra denudari praestigia, quod

oculatae ceterae gentes appareant, et Florentini vanissimi, sicut sunt, atque caecutientissimi videantur. Qui quidem tuae narrationis introitus quam ineptus sit, quidque legentibus afferat, paucissimis edocebo. Quis dominus, quisque princeps, quaeve communitas est, in quam non possit hoc idem, siquis debacchari voluerit, iaculari? Si tuum in dominum haec eadem verba scribantur, quis inconvenienter posita causaretur? Quid erit necessarium immutare, nisi pro civibus tyrannum, et pro plurali ponere numerum singularem? Sed illum, et mortuos dimittamus, cum quibus decet mitius agere, quam si vivant. Dic, obsecro, nonne te Florentinis verbis tuis prodis, et detegis inimicum, et capitalem, ac teterrimum inimicum? Nunc autem fare, precor, quam personam induis, accusatoris, an testis? Et testis, cum te offeras, planeque te geras, et declares his tuis optatibus illorum, quos insequeris, inimicum, quem locum relinquis ut tibi vel levissima fides detur? Accusator autem quis tantae gravitatis unquam fuit, qui vel criminationis,

vel invectionis solo contextu potuerit culpabilem reddere quem accusat? Sit Cicero, sit Demosthenes, sit summae vir integritatis Cato, sit Antonius, aut Crassus, sit Demosthenis insectator Aeschines, vel quicumque togatus, aut palliatus, plus unquam in curia pro rostris, vel subselliis valeat, vel valuit; sint, si placet, et omnes simul, nunquam, nisi probaverint, reum damnabunt. Quamobrem vide, tuamque inscitiam recognosce, tuum errorem, disceque, rabida, stultissimaque bestia, quod etiam in iudiciis, senatu, vel populo nulla fides accusatoribus, vel testibus, qui se gesserint inimicos, soleat, vel debeat adhiberi; quamvis etiam saepe sint iudices, sit senatus, aut populus illi, quem quis accusaverit, subiratus; ut quoties accusator, vel vocati testes hoc inimicitiae virus, quod tu tam manifeste prodis, prae se tulerint, vel se stulti non sentiant insanire, vel auditores ut insanos reputent, et in suam inclinare stultitiam, et in insipientiae supinae notam, aut iniquitatis infamiam trudere meditentur. Quis, enim, adeo de-

mens, vel rerum humanarum ignarus, qui credat accusatori, vel testi, qui profiteatur, aut eius, quem insequitur, se detegat inimicum? Tu vero cum non unum aliquem dominum, vel iudicem, non unum, vel aliquos populos, sed universum genus hominum, quos haec tua legere contigerit, alloquaris; nonne, si putas te sapere, sicut credo, talia quippe non scriberes, nisi tibimet de scientia, atque prudentia blandiaris, stultissimus es, si speras, haec illis te persuasum ire, nonne tibi similes arbitraris, vel, quod malignius est, iniquos ducis? Cavebimus omnes, igitur, teque cum tua stultitia relinquemus, nec usquam fidem merebere, nisi forsitan apud stultos. Quae cum ita sint, negari quidem non possunt, orator egregie; nonne primo tam elegantis orationis ingressu, te rabidam bestiam probas, ut superius diffinivi? Sed haec omittamus, et quamvis omni fide careas, videamus an vocabula, quae Florentinis imponis, vera vel idonea sint his, quos insequeris, attributa. *Perditissimos cives, vastatores patriae, turbatoresque pacis*

Italiae Florentinos vocas. *Perditissimos*, inquis, *cives*. Si cunctos Florentinos increpas, falsissimum est quod dicis; licet enim aliquibus hoc nomen forte convenire possit, qui sua prodigant, male vivant, et pravitate morum, ac sceleribus delectentur; sine comparatione tamen longe plures sunt, quos perditos, si vera loqui velis, nequeas appellare; multosque tu temet fatebere, qui possint, imo debeant non perditi, sed boni cives omnium iudicio vocitari. Sed hosti nostro non congruit hoc querelae genus; nostrum est ista conqueri, vel dolere, quorum interest cives non perditos habere, sed utiles, sed bonos, sed tales, quibus possit respublica se iuvare. Relinquas, igitur, hoc nobis, relinquas et id, quod sequitur, *patriae vastatores*. Quid, enim, aliud est vastare patriam, quam patriam exhaurire, ut, si de patria nostra sentias, optandum hoc esse tibi deceat, non dolendum. Si vero de Liguria, Flaminia, Venetiaque, domini tui pressis iugo, forsan intelligis, doleas, obsecro, non reprehendas, optaque tibi, tuisque partibus tales hostium pa-

triae vastatores, nec reliquam ex hoc deplores Italiam. Habent tot Ausoniae gentes, quae tuo non subiacent domino, fines suos habent, et ora, habent et qui dicere noverint, atque possint; et quis unquam illarum partium dominus, aut populus hoc, quod nobis imputas, fuit conquestus? Quis personam eorum tibi commisit, et vices, ut in hoc non sis, etiam si verum dixeris, audiendus? Si pacem turbaremus Italiae, sicut scribis, totam haberemus Italiam inimicam; quod cum non sit, sed ubique, qua iurivorae serpentis iugum, venenumque non attigerit, maneant, habeanturque carissimi suis commerciis Florentini; nonne patet haec, quae iactas, te contra manentem rerum evidentiam comminisci, ut te deceat vocabulum illud *praestigia*, quod attribuis Florentinis, quod quidem occultam fraudem, ut arbitror, esse vis? Non, enim, detegenda tuis optares votis, nisi praestigiorum ludificationes sentires occultas. Sed quis te docuit hostibus haec obiicere? dolus an virtus, quis in hoste requirat? Dic tamen ubinam vel tuum dominum,

vel aliquem alium respublica Florentina decepit? quas unquam aliis, praeterquam hostibus, struxit insidias? Nil te prohibet haec omnia de quibuscumque tibi placuerit, delatrare. Non dicas, sed probes oportet ista, quae scribis, ut verum dixisse videaris, non male dixisse. Sed quis te praestigiosior, qui cum Florentinos tibi sic proposueris diffamandos, quod credi non velis, omninoque credendus non sis, omnes, qui faciant, quae reprehendis, infamia, quam Florentinis imponas, notandos sine dubio derelinquas? Quid, enim, aliud intendit, qui mordet aliquem de vitio, cui nec re, nec audientium opinione, talis, in quem invexerit, sit affinis, nisi reprehendere vitium, et omnes qui damnato illo vitio sint infecti? Vt si turbare pacem Italiae, destruere subditos, et vastare vicinos, dominum tangat tuum, in ipsum illa votorum tuorum acrimonia; non in illos, qui tali culpa careant, inveharis; praesertim cum sic Florentinos arguas quod nil probes. Qui damnat quidem vitia, damnat procul dubio vitiosos, si qui sint vel evidentia rerum, vel opinione pu-

blica tali vitio criminosi. Bene, ergo, tibi iam est de totius tam elaborate dictionis introitu, cum illa sumpseris in unum, quae cunctis convenire possint, quaeque communia sint tam accusatori, quam etiam accusato, saltem verbis paucissimis immutatis, cum te faciens accusatis inimicum, fidem perdas, et illos, quos alloqueris, aut insanos reputes, aut facere coneris iniquos. Quae quantum oratoriae facultatis sint, tibi, si forsan haec nostra videris, relinquo, cunctisque, qui nostra haec legerint, tribuo iudicandum. Sed iam ulterius procedamus, videamusque, quid post haec vota tua, sive maledicta, subnectas.

Sic erit profecto, non fallor: adventant tempora, fata sunt prope, pleno cursu appropinquat diu exoptata mortalibus ruina vestrae superbiae. Videbimus, ecce videbimus illam vestram in defendenda quadam foedissima libertate, vel potius crudelissima tyrannide constantiam, fortitudinemque Romanam; hoc, enim, nomine superbire soletis, et vos genus praedicare Romanum, quod quam

impudenter faciatis alio dicendum erit loco. Nunc prosequor; Videbimus, inquam, illam inanem, atque ventosam iactantiam, et insolentiam Florentinam, et quam virtuti verae respondeat a vobis praeter ceteros mortales propriarum rerum semper usurpata laudatio, cognoscemus.

Quibus quid responderim, nisi quod cum oratoris officium deseras diffidentia scilicet, ut arbitror, probationum, eadem stultitia, qua dicere coepisti, nunc incipias divinare. O singularis orator, qui primis orationis tuae verbis, cum nihil probaturus omnino sis, probare quidem non potes, tibi fidem abstuleris, et etiam si quid posses orationis dulcedine, vel artificio consequi, stultitia tua perdas. Quis te docuit oratorem exuere, teque transferre, quod est perridiculum, in prophetam? *Sic erit*, inquis, *profecto*. Quis hoc tibi stulte promisit? *Non fallor*, adiicis, quasi, quae turbatus optas, sic tibi comperta sint, quod in illo malivolentiae tumultu, nec falli valeas, nec errare. Fabellam ursi, cum nugas tuas relego, re-

miniscor; cum, enim, pyrorum anni futuri secum copia laetaretur, interrogatus unde praesciret, respondisse fingitur, queniam opto. Tu non aliter quam ursus ille, quae concupiscis, affirmas, ut non minus bestialiter sentias quam loquaris. Sed subdis.

Adventant tempora, fata sunt prope, pleno cursu appropinquat exoptata mortalibus ruina vestrae superbiae.

Adventant tempora, immo labuntur, immo currunt. Inquit enim Naso,

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et currit fraeno non remorante dies.

Adventant, fateor; immo tempora, quae tunc adventare nuntiasti, tuis per Dei gratiam inania votis, et optatibus advenerunt. Vide, tecumque considera quid loquaris, mementoque quod non sit tuum scire tempora, vel momenta, quae Pater noster, qui in coelis est, in sua potestate recondit. *Fata sunt prope;* stultissime Lombardorum, quid nomine fatorum intendis? An ea Pater omnipotens Phoebo, tibi Phoebus Apollo praedixit, ut nobis haec tu, furiarum maxima, pandas? Sed

ulterius audiamus vecordem, vehementemque novum hunc vatem.

Videbimus, ecce videbimus illam vestram in defendenda quadam foedissima libertate, vel potius crudelissima tyrannide constantiam, fortitudinemque romanam; hoc enim nomine superbire soletis, et vos genus praedicare Romanum. Quod quam impudenter faciatis, alio dicendum erit loco.

Videbimus, inquis, immo videras, vides, atque videbis plusquam Romanam fortitudinem, atque constantiam Populi Florentini in defendenda dulcissima libertate, *quod coeleste bonum*, ut ille dixit, *praeterit orbis opes*; quam mens est omnibus Florentinis, ut vitam, immo supra vitam, opibus, ferroque defendere, nostrisque posteris hanc haereditatem optimam, quam a maioribus nostris accepimus, relinquere, Deo favente, solidam, et immaculatam; adeo placet nobis haec, quam foedissimam vocas, omnium hominum stultissime, libertatem, quam inexperti solum, qualis es, nec alicuius momenti faciunt, nec cognoscunt, quam solum Lombardorum

genus, sive natura, sive consuetudine, sive forsan utraque fiat, nec videntur diligere, nec optare. Tu vero solus hoc summum divinitatis munus, foedissimum reputas, et abhorres, cuius sententiae non arbitror te socium invenire, etiam sub tui principis dominatu; adeo naturale est diligere libertatem. Quo mihi videtur, non humilitate, sed vitio te posse servorum servum, immo debere rationabiliter appellari. Sed cur servum te voco, qui tam valde servitute delectaris tua, quod non pudeat vocare foedissimam libertatem? Immo, quod stultius est, non es veritus eam tyrannidem crudelissimam appellare. Quod verbum cum omnes risum isse vel ire certus sim, ferre non potui. Numquid aliquam nosti vel in Italia, vel alibi libertatem, quae sit Florentinorum libertate liberior, aut integrior, vel quam nostrae libertati possis, ne comparare dixerim, anteferre? Talis ne est tyrannis illa dominii, cui servis, quod tyrannidem audeas Florentinorum dicere libertatem. Scio quod gravis et instar servitutis est, custos legum libertas, gravis, et instar servitutis est effre-

nae iuventuti, quae cupit suam libertatem evagari, quae passionibus ducitur, atque vivit, ut te facile putem, et tui similes, non solum non intelligere libertatem, quid sit, sed rem, et nomen, veluti tetrum aliquid, abhorrere. Cui rei testis est Livius, cum proditionem de reducendis regibus solido illo stilo suo referret: *Erant*, inquit, *in Romana iuventute adolescentes aliquot, nec hi tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat, aequales, sodalesque adolescentium Tarquinorum, more regio vivere assueti; eam tum aequato iure omnium licentiam qnaerentes, aliorum libertatem in suam vertisse servitutem conquerebantur.* Haec, et alia, quae tantus auctor scripsit, puto te, sicut sunt ingenia mortalium ad ea, quae desiderant, curiosa, suntque proclivia, tecum iugiter meditari, cogitantemque talia, te rerum dulcissimam libertatem, crudelissimam tyrannidem ducere, taleque, tantumque bonum, quo nihil pulcrius esse potest, rem foedissimam appellare; quae quam inepte, quamque contra veritatem dicta sint, tibimet relinque-

rem, si te tamen hominem gereres, iudicandum; cunctis tamen ista legentibus exhibeo dirimenda.

Verum cum negare videaris Florentinos genus esse Romanum, dic precor, ubinam contrarium reperisti? Cur nobis invides quod, praeter te solum, tota consentit Italia, quod nullus unquam, nisi tu, teterrima bellua, contradixit, quod urbs Roma, Romanique Principes, nullis unquam temporibus negaverunt, sed nos filios, carnem ex carne sua, et ossa ex ossibus suis, etiam in singularem sui nominis honorem, et gloriam reputant, atque vocant? Quoque te pudeat hoc in dubitationem stultissime revocasse, volo referre quid sentiam de tantae civitatis origine, et his auctoribus, quos adducere potero, confirmare, ut, postquam alio tibi dicendum loco reservasti, quam impudenter praedicemus nos genus esse Romanum, et auferam tibi delirandi materiam, et occasionem exhibeam rectius sentiendi. Nunc autem originem relaturus civitatis Florentiae, rem quidem obscuram, multaque temporum antiquitate sepultam, sine dubitatio-

ne crediderim de parvo principio, sicut contingit in reliquis, gloriosissimum hunc populum, urbemque celeberrimam, quam habemus, non tamen ignobili processisse. Verum cum antiquissima civitas Faesulana in urbis huius corpus, sive bello, ut fama est, sive pace, captis montanis civibus amoenitate loci, confluxerit, sedesque suas reliquerit, nemini dubium esse potest, urbem hanc augustius quam putetur initium habuisse. Quod si nos lateat non est mirum. Nam, ut externa pertranseam, urbis Romanae primum principium, dic mihi, quis novit? Legimus Evandrum, et Arcadas cum fatis, ut aiunt, auctore Carmente, per Tyberim intrantes Italiam appulissent, ubi postea condita Roma fuit, oppidum invenisse, quod Latino nomine *Valentia* dicebatur. Vocabulum cuius Arcades vertentes in Graecum, iuxta verbi significationem, Rhomen pro Valentia vocaverunt. Vnde creditum a nonnullis est, inditum Romae nomen, non a Romo, sicut communiter traditur, descendisse. Auctori quidem Vrbis, verum nomen non Romulus, sed Romus fuit, unde Roma,

non Romula dicta est; et Varro plane Romum vocat, et Romulum. Quis autem legit quemnam auctorem habuerit antiquissimum illud oppidum, quod Valentia dictum fuit; quis verum eius oppidi principium valeat assignare? ut haereditarium nobis sit, ignotam habere nostrae conditionis originem, sicut Roma; quod quidem antiquitatis est validissimum argumentum. Quod autem haec urbs Romanos habuerit auctores, urgentissimis colligitur coniecturis. Stante siquidem fama, quae sit obscurior annis, urbem Florentinam opus fuisse Romanum: sunt in hac civitate Capitolium, et iuxta Capitolium Forum, est Parlasium sive Circus, est et locus, qui Terme dicitur, est et regio Parionis, est et locus, quem *Capacium* vocant, est et templum olim Martis insigne, quem Gentilitas Romani generis volebat auctorem; et templum non Graeco, non Tusco more factum, sed plane Romano (1). Vnum

(1) **Haec fere omnia docte, feliciterque illustravit Dominicus Mannius in suis operibus, inter quae**

adiungam, licet nunc non extet, aliud originis nostrae signum, quod usque ad tertiam partem quartidecimi seculi, post Incarnationem Mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, apud Pontem, qui Vetus dicitur, erat equestris statua Martis, quam in memoriam Romani generis iste populus reservabat, quam una cum pontibus tribus rapuit vis aquarum, annis iam completis, pridie Nonas Novembrias, septuaginta; quam quidem vivunt adhuc plurimi, qui viderunt (1). Restant adhuc arcus, aquaedu-

Notizie Istoriche intorno al Parlagio, ovvero Anfiteatro di Firenze. In Bologna 1746. *per Tommaso Colli in* 4. — *Delle antiche Terme di Firenze. In Firenze* 1741, *in* 4. — *Della Vecchiezza sovragrande del Ponte vecchio di Firenze, e dei cangiamenti di esso ec. in Firenze* 1763. *per Pietro Viviani in* 4. — *Della vera origine della Città di Firenze*, quae adhuc desideratur.

(1) Mannius loc. cit. *pag.* 17. de hoc Simulacro verba faciens sic ait: *Nè ci faremo mai a credere, che fosse in antico* (sul Ponte vecchio) *la Statua di Marte, che gli scrittori vecchi dissero per antica fama aver riseduto nel Tempio di Marte, e che si vuole caduta essere in Arno per mera colpa d'una inondazione ec.* Ita ceteri scriptores nostrorum temporum emunctae naris.

ctusque vestigia, more parentum nostrorum, qui talis fabricae machinamentis dulces aquas ad usum omnium deducebant. Quae cum omnia Romanae sint res, Romana nomina, Romanique moris imitatio, quis audeat dicere, tam celebris famae stante praesidio, rerum talium auctores alios fuisse quam Romanos? Extant adhuc rotundae turres, et portarum monimenta, quae nunc Episcopatui connexa sunt, quae, qui Romam viderit, non videbit solum, sed iurabit esse Romana, non solum qualia sunt Romae moenia, latericia coctilique materia, sed et forma. Non mirum ergo si, tot adstipulantibus rebus, constans, et inextinguibilis fama est, urbem nostram opificium esse Romanum, oppositum Faesulanis, quos Romanis fuisse contrarios, et adversos clarissimum facit, quod sociali bello legamus, Faesulas, et alia quaedam oppida fuisse deleta; ut Romanum opus esse Florentiam plane sit stultissimum dubitare. Legitur, enim, apud Sallustium, certissimae veritatis historicum, L. Catilinam quemdam C. Manlium praemisisse Faesulas ad exercitum comparandum, qui

sollicitans in Etruria plebem, egestate simul, et dolore iniuriae, novarum rerum cupidam, quod Syllae dominatione agros, bonaque omnia amiserant; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos etiam ex Syllanis coloniis, quibus libido, atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant, magnum paravit exercitum. Quibus Sallustii verbis, Ciceronis nostri ditissimum eiusdem rei testimonium, si placet, adiiciam, ut, his collatis, clarius efficiam quod intendo. Scribit ergo Tullius oratione secunda, quam ad Populum Romanum habuit contra Catilinam, dum qualitatem exercitus, quem habuit hostis ille perditissimus patriae, per membra designat, in haec verba, videlicet: *Tertium genus est aetate iam affectum, sed tamen exercitatione robustum, quo ex genere ipse Manlius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex his coloniis, quas Faesulis Sylla constituit, quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum sentio*. Respondeat velim nunc vel dementissimus ille,

qui negat Florentinos esse Romanos, vel quivis alius, cui placuerit ista contendere, negetque, si potest, Faesulanis in finibus Romanas colonias esse deductas, et ubi velint assignent eas praeter Florentiam Romanis congruentes nominibus, aedificiis, atque notis, et Marte praeside, quem iste populus in illo gentilitatis errore religiose colebat. Quod cum facere nullo modo valeant, famam sequantur tot vigentem seculis, et rem notissimam, tot fultam adminiculis, oro non negent, nec contra Ciceronis sententiam arbitrentur, et dicant, viles illos milites, agricolasque fuisse; sed cum tantus auctor cives illos optimos, et fortissimos esse dicat, cum ipso sentiant id, quod decet, et audiant quid sequatur. Subdit, enim, immediate post illa, quae proxime retuli: *Sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis, ac repentinis pecuniis sumptuosius, insolentiusque iactarunt; hi dum aedificant, tamquam beati, dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sylla*

sit his ab inferis excitandus; qui etiam nonnullos agrestes homines, tenues, atque egentes, in eamdem illam spem veterum rapinarum impulerunt. Haec Cicero, quibus facile capi potest, quale genus illud optimorum, fortissimorumque civium Romanorum fuerit, quibus illae coloniae fuerint tunc temporis assignatae. Cumque nulla prorsus colonia supersit, cuius vestigia sint, praeter Florentiam, credant Syllanos illos milites, quo possent resistere Faesulanis, in huius unius aedificationem consensisse. Nec quem ad male sentiendum de maioribus nostris moveat, quod nonnulli, sicut vult Sallustius, vel qui male rem gesserant, ut tradit Cicero, contra patriam adhaeserint Catilinae; neuter, enim, ipsorum omnes dixit, sed aliquos; quos, scilicet, ad illud nefas rei familiaris angustiae perpulerunt, quos credibile sit, illa pugna teterrima, quam in agro Pistoriensi commissam legimus, periisse. Verum nomen forte quaeris; fateor id in historiis, quas habemus, me nullis temporibus invenisse; puto tamen, quoniam Florentinus ager suapte natura feracissimus

liliorum sit, flores occasionem nominis praebuisse. Huius nominis autem auctor optimus Ptolemaeus Philadelphius, qui claruit temporibus Antonini Pii, claram facit libro tertio Geographiae suae, qua priorum omnium scripta diligentia, et veritate superavit, huius, inquam, nominis facit, et civitatis Florentiae mentionem. Inquit, enim, ubi Tuscorum mediterranea enumerat breviloquio, sicut et in ceteris, ut quaedam omittam, *Luca*, *Lucus Pheronis*, *Pistoria*, *Florentia*, *Pisae*, *Voluterrae*, *Faesulae*, *Perusia*, *Aretium*, *Cortona*. Vt cum multas urbes alias, oppidaque maxima tacuerit, forte quia tunc non forent, aut memoratu digna non essent, Florentiam, quia iam ad dignitatem memoriae subcrevisset, notabiliter nominavit. Forte etiam cum astrorum peritia, cuius studiosissimus fuit, videret, urbem hanc ad tam nobilem magnitudinem perventuram, noluit futuri praescius rem adeo mirabilem subticere. Quod autem apud Plinium legitur, cum oras Tusciae diligentissime scribit, in haec verba videlicet: *Fluentini profluenti Arno appositi*,

forte corruptum est, et scribi debuit, *Florentini*; quodque sequitur, *profluenti Arno appositi*, non minus librariis dare potuit corrumpendi materiam, quam auctori, *profluentis* vocabulo, ei quod *Fluentini* dixerat, alludendi. Nam cum inter Africum, Munionem, et Arnum, aliosque torrentes, qui iam extincti sunt, haec civitas sita fuerit, cui mirum, si *Fluentia* forsan ab initio dicta sit, et quod a florum copia maluerint eam posteri *Florentiam* appellare? Nec putet aliquis Plinium de Florentia non sensisse. Cum enim dixisset *Clusini veteres*, *Clusini novi*, mox adiecit, *Fluentini profluenti Arno appositi Faesulae*, et cetera, quae subnectit. Quod adeo verum est, quod etiam auderem dicere, nisi rationi temporum Ptolemaei repugnaret auctoritas, priscum nomen illud in Florentiam commutatum, quando mense Ianuario singulari Dei miraculo certum est ulmum, effrondem ad feretri, vel sandapilae contactum, quae corpus Sanctissimi Patris nostri Zenobii continebat, floruisse; ut ex tunc pro *Fluentia Florentia* coeperit vo-

citari. Nec hoc a Romani nominis sono, vel institutis abhorret. Habent, enim, et ipsi non ignobilem urbis partem, quae vulgo dicitur, *Campus Florae*, vel, ut hodie dicitur, *Campus Floris*; ut consonum satis sit Romanis rationem illius nominis placuisse. Potuerunt et esse quamplures ex regione Campi Floris, qui, tali nomine delectati, causa nominis extitere. Licet etiam cogitare, Deum, qui cunctarum rerum efficiens causa est, talem nominis sonum, et faciem inspirasse, sciens quo potentiae, pulcritudinis, et honoris erat suam Florentiam perducturus. Et cum *Nazareth*, Hieronymo teste, libro, quem transtulit, atque composuit, cui titulus est: *De Hebraicis nominibus, et ipsorum etymologia*, interpretetur *flos*, sive *virgultum*, et ipsa sit, eodem auctore teste, viculus in Galilaea, unde Salvator noster Nazarenus vocatus est, ut in locorum libello scripsit; quis dubitet, attenta fide, qua semper floruit super alias Italiae civitates urbs nostra Florentia, illum rerum omnium opificem Deum nomen hoc futurae cultrici Christi Florentiae tribuisse,

quod latine significaret idem, quod Hebraice Nazareth dicitur importare? Videtis, ut cunctis loquar, immo digito tangitis nostrae civitatis exortum Romano genere, civibus optimis, atque fortissimis, ex Coloniis Faesulanis. Videtis quod originis Romanae vestigia clament, et consentiant illud idem; videtis insignem tam gloriosi nominis rationem, habetis famam constantissimam, atque latam, cuius initii memoria non existit. Quis, ergo, poterit inter tot veritatum suffragia, super hoc amodo, si nostra haec legerit, rationabiliter dubitare? Cum, enim, omnia consonent veritati, nihilque prorsus sit, quod in huius originis contrarium possit adduci, quis intellectus potest, nisi desipiat, dissentire? Verum, dicet aliquis, nonne legitur apud Senecam, quem quidam Florum vocant, ubi civile bellum, quod inter Syllam, ac Marium gestum est, non minus conqueritur quam describat: *Municipia Italiae splendidissima venierunt, Spoletum, Interamnium, Praeneste, Florentia; nam Sulmonae vetus oppidum, socium, atque amicum, o facinus indignum, nondum*

expugnatum, ut obsides iure belli, et modo morte damnati duci iubentur. Sic damnatam civitatem iussit Sylla deleri. Scio quod sic aliquibus in codicibus scriptum est; alibi vero, quod emendatius arbitror, non *Florentia* legitur, sed *Florentina*, cuius quidem nominis adhuc est in Campaniae finibus oppidum, quod dicitur *Florentinum*, ut tam similitudine nominis, quam locorum aliorum in civitate, quae pestis illa confecit, doceamur potuisse talem errorem faciliter irrepsisse, praesertim cum antiquissimo codice legerim *Florentina*. Accedit ad haec quod urbs nostra summo magistratu sicut olim Roma per Consules regebatur, usque ad exactos annos Incarnationis Divinae Sapientiae mille ducentos octoginta duos, ut hoc etiam arguat originem a Romanis. Nunc ad tua reditum faciens, adiicis. *Videbimus, inquam, illam inanem atque ventosam iactantiam, et insolentiam Florentinam, et quam virtuti verae respondeat a vobis praeter ceteros mortales usurpata laudatio cognoscemus.* Inanem dicis et ventosam, Florentinam.

Et quis unquam Florentinum regimen aliquid dicere potest, tot, quas per orbem sparsit, litteris iactavisse? Iactare futurum respicit, quod tibi relinquimus, tibique similibus faciendum. Gravitatis, enim, Florentinae non est inania divinando iactare, sicut tu facis, quod quidem in tempus aliud differamus. Quod si iactantiam, et insolentiam gloriationem intelligis, sicut credo, quis in Italia dominus, aut in orbe populus est, qui possit rebus pace, belloque gestis verius, et honestius gloriari, quique se minus unquam curaverit exaltare? Quae vero laus inanis, et ventosa minus est, quam quae procedit ex meritis? Quae princeps iste populus pro libertate gessit sua, sicut multoties, quam ex foedere, sicut semper, nunquam, enim, in hac parte defecit, nonne licitum moribus est, improperatione sequestra, in aliorum exhortationem, et exemplum, et in consecutionem vicissitudinis recensere? An inane, vel ventosum est id, quod nititur veritate? Si vellem domini tui, tua nequeo, cum ignorem; si vellem, inquam, domini tui facta, dictaque, quibus iactantiam, et inso-

lentiam praesetulit, hac in parte colligere, crede mihi, nihil simile posses Florentinis, vel privatim vel publice, nisi more tuo ad fingenda confugeres, imputare. His, ergo, dimissis, quam vera post haec prosequaris, videamus. Subdis ergo:

Non possunt amplius homines sine stomacho vestrum nomen audire; non potest pati Italia eos incolumes videre, qui, cum eam cladibus multis afflixerint, ad extremum suffocare turpissima servitute conati sunt; non potest, denique, vos ferre diutius divina Iustitia. Quomodo, igitur, stare possint, non video, contra quos omnium fere hominum vota, ac studia accensa sunt; quos vexata per vos, et ad servitutem vocata Italia detestatur; in quos, denique, tantis flagitiis irritata ira coelestis armatur. Haec, mihi credite, scelerati, contra vos militat; haec nocentissimum sanguinem vestrum sitit, haec extremam ruinam insidiosissimae et flagitiosissimae gentis exposcit: atque ideo tantam hanc furiam mentibus vestris iniecit, ut de excidio sacrosanctae Matris Ecclesiae, de

mutatione Romani Imperii, de ruina glo-riosissimi Ducis, perniciosa consilia tractaretis. Quid, enim, aliud cogitandum est, nisi Divinum Numen, iam iam sceleribus vestris infensum, vos obcaecatos in tantam insaniam impulisse, ut odia, et arma illa contra vos excitaret, quorum viribus non solum non possetis resistere, sed nec etiam ferre fulgorem?

Non possunt, *inquis*, *amplius homines sine stomacho vestrum nomen audire*. O vir mirabilis, primis orationis tuae partibus optas, secundis, veluti prophetans, futura praedicis, nunc te sublimius elevans, quod solius Dei est, scrutaris renes, et corda. Nec solum hominum affectus refers, sed etiam quasi divinae mentis arcanum agnoscas, ais: *Non potest*, *denique*, *vos ferre diutius Divina Iustitia*. *Non possunt*, ut dicis, *amplius homines sine stomacho nomen audire* nostrum; sed possunt viri, possunt, crede mihi, nostrum audire nomen homines virtuosi, nec possunt solum, sed volunt, sed cupiunt, sed delectantur. Scio quod Guelforum, quos habet Italia, multitudo

populum Florentinum huius sanctissimae conglutinationis caput, columen, atque principem, et hi vehementius, quos Gebellinae factionis crudelitas premit, quales infiniti sunt, qui tuo Domino subiacent, non solum gratulanter Florentinum nomen audiunt, sed adorant, sed victoriam, et felicitatem eius cupiunt, nec solum cupiunt, sed expectant. Gebellini vero, nisi desipiant, qui tyrannico iugo subiacent, Gebellino quidem favore mallent, sed si non detur, etiam Guelforum manibus eligerent liberari. Sed addis: *Non potest pati Italia eos incolumes videre, qui, cum eam cladibus multis afflixerint, ad extremum suffocare turpissima servitute conati sunt*. Verissimum est hoc, inquam; non, enim, quae vera dixeris, denegabo. Restat tibi quod probes, vel ratione liquidissima declaretur, quinam sint, qui Latium cladibus afflixerint, et ipsum conati fuerint subiicere servituti. Quod postquam ostenderis, si convinceris hos esse Florentinos, tunc in ipsos dicito quidquid libet. Et quoniam hoc alibi commodius disserendum est, donec illuc pervenero,

sum contentus, quilibet Italus secum examinet, qua vexatione Florentia, sicut ais, afflixit Italiam, quis ipsam cogitaverit occupare, vel sibi subiicere servitute. Sed coniecteris, et asseras de rebus hominum quidquid libet, quis tibi secretum Divinae Iustitiae revelavit? Sed quis praeter te, foedissima bellua, diceret; quod non possit diutius nos Divina Iustitia substinere? Non potest Divina Iustitia, quae sine Misericordia Divina non esset, quaeve sustinet diabolum, idololatras, inimicos sui nominis, et alios peccatores, nos diutius substinere? Vel quoniam velle, et posse in Deo realiter unum sunt, non potest, quia non vult, vel non vult, quia non potest? Stulte nimis, et impertinenter de Deo loqueris. Stultissime nobis iram Dei, quae donec venerit, semper occulta fuerit, veluti rem certissimam minitaris. Quod si, ut inquit Cicero, nihil est principi illi Deo, qui mundum regit, quod quidem fiat in terris acceptius, quam concilia, coetusque hominum, iure sociati, quae civitates appellantur, sique, ut testatur Tragicus, Victima haud ulla amplior po-

test, magisque opima mactari Iovi, quam rex iniquus, quid domino tuo, quidque nobis potest metui, vel sperari, non tibi, qui non capis, sed omnibus recte sentientibus exhibeo iudicandum. Sed, ut ad reliqua veniamus, adiicis: *In quos denique tantis flagitiis irritata ira coelestis armatur*. Ab ira divina descendis ad coelestem, sed quid est armari coelestem iram in nos? Irasciturne coelum, aut quasi metuat, cum offendere decrevit, armatur? Scio quod nihil divina maiestate dignum, quoniam inenarrabilis est, proferre possumus; sed de illo, velut homine quopiam, quidquid loquimur, enarramus. Cavendum est tamen, quod si quid de ipsa dixerimus, tam sobrie, talique moderatione relatum sit, quod nec includat impossibile, nec ineptum. Quid autem est dicere, *haec, mihi credite, scelerati, contra vos militat, haec nocentissimum sanguinem vestrum sitit, haec extremam ruinam insidiosissimae, et flagitiosissimae gentis exposcit*. Si Deus iratus contra nos militat, ut affirmas, quomodo potuimus,

aut possumus una hora consistere? Si sitit nostrum sanguinem, cur non bibit, cur non eruit? Si ruinam nostram exposcit, quis obstare potest Divinae Manui, cum scriptum sit: *Voluntati eius quis resistet?* Mox autem velut ab effectu probare niteris, quae dixisti. Scribis, enim; *atque ideo tantam furiam mentibus vestris iniecit, ut de excidio Sanctae Matris Ecclesiae, de mutatione Romani Imperii, de ruina gloriosissimi Ducis perniciosa consilia tractaretis*. Vnde tibi, quo de Duce tuo, cuius utinam ordinare potuissemus excidium, dimittamus, unde tibi tot, inquam, comperta sunt, et tanta mendacia? Nos ne de excidio Sanctae Matris Ecclesiae cogitamus, qui semper opibus, et subsidiis nostris illam fovimus, iuvimus, et auximus? Florentini ne possunt, aut cogitant de mutatione Romani Imperii providere? Quis nobis hanc auctoritatem dedit, potentiamque concessit? An forte tanta dementia nos invasit, quod sumptibus, et expensis nostris praesumamus quod ad nos non attinet, quodque, nec de iure, nec de facto possumus, sed totum ex

aliena pendeat potestate? Dic, obsecro, vel in medium proferas, quosnam principes ob hoc adivimus, vel ubi super hoc colloquium Commune nostrum tenuit, aut tractatum? Non possunt haec, cum a potestate nostra non pendeant, a nobis incipi. Ridiculum, immo stultum, et inane nimis, immo prorsus et impossibile foret, a nobis, quae facere non possumus, inchoari. Quae cum ita sint, quid immoror diutius super hoc, quod prorsus nec persuaderi potest, cum non sit verisimile, nec probari, cum omni careat veritate? Nec nobis obiicias bellum, quod contra quosdam officiales Sanctae Matris Ecclesiae, qui sic terras eis in Italia commissas pessumdabant, quod subditos miserabili servitute prementes, et nostram, et aliorum cogitarent extinguere libertatem, Florentinum populum suscipere fuit necesse. Satis, enim, illa causa per Italiam, et omnia Christianitatis regna ventilata fuit, et, ut per effectum patuit, universus orbis commendavit, et vidit populi nostri iustitiam, et illud non in exitium Sanctae Matris Ecclesiae, sed in nostrae libertatis defen-

sionem iudicavit, non in aliud ordinatum. In quam quidem obiectionem si forte pergas, referam socios, referam alia multa bella, quae tam intentione, quam causa turpissimam his, quibus nolles, notam inurent, multaque scelera renovabunt, quae quidem pudore, non metu, urbanitate, non formidine subticentur. Scimus quibus fautoribus damnatae memoriae Ludovicus, quem *Bavarum* vulgus dixit, contra ius, et voluntatem Ecclesiae conatus sit Romanum imperium occupare. Scimus quem Antipapam sibi constituit, quosque scelus, et monstrum illud Anticardinales habuit, et Praelatos. Scimus aeternam illam Gebellinae factionis infamiam, quam renovabimus, et in notitiae lumen, sepultam licet tenebris, obscuratamque lapsu temporum detegemus. Et cum voluerimus malefactis, veritate nixi non mendaciis, ut tu, maledicere, aliter nos videbis quam te, tuis nugis, et fictis adinventionibus resonare. Sed haec satis; si patienter enim te gesseris, satis erunt. Nolo tamen, cum sciam, me quidem latere non potest, nos esse prorsus

ab offensionibus tam Ecclesiae, quam Imperii, quidquid obgannias, alienos, nos terreas, et ob hoc scribas: *Quid enim aliud cogitandum est, nisi Divinum Numen iam iam sceleribus vestris infensum, vos obcaecatos in tantam insaniam impulisse, ut odia, et arma illa contra vos excitaret, quorum viribus non solum non possetis resistere, sed nec etiam ferre fulgorem.* Indigebat, ergo, Deus coecitate, et insania nostra, quo contra nos arma, quae minaris, excitaret? Impellit ne Deus in scelera nos, vel alios mortales, ut puniat, an potius mentem inspirat, quo cavere possimus, declinare malum, et facere bonitatem? Non sapit oratio tua stultitiam solum, sed blasphemiam, sed haeresim, cuius apud Gebellinos facilis est iactura, sed summum, supinumque mendacium. Nec Martium hunc populum, qui tot bella substinuit, totque gessit, non posse resistere, vel armorum splendorem ferre dicas; restitit, enim, et resistit, et adeo splendorem armorum non exhorret, quod armis arma, sicut solet, obiicientem tua iam sensit, et

per Dei gratiam sentiet Lombardia. Sed iam ad reliqua procedamus.

Atque, ut omittam ceteros vestros inimicos, quibus nihil videtur antiquius, quam ut aliquando de cruento illo superbiae scopulo corruatis; ecce contra perfidiam vestram venit his armis, et copiis, hisque armorum ducibus instructus exercitus, ut maiori multo potentia, quam vestra sit ea, qua tamen adeo superbitis, ut arrogantia vestra tolerari vix possit, extimescendus esse videatur. Venitque non tam avide eo missus quam desideratus, atque expectatus a vestris, vestris, inquam, si ita sunt appellandi, quorum cum in fortunas, et corpora crudele, et avarum habeatis imperium, nihil minus quam animos possidetis. Sperant, equidem, hoc uno assertore suae libertatis exercitu, vobis in servitutem prolapsis, dignitatem pristinam, quam sibi per vos ereptam lugent, tandem esse recuperaturos. Itaque arma haec omnes hi populi, quos sub acerbissima tyrannide suffocatis, expectant, ut cum tempus, occasionemque perspe-

xerint, excutiant iugum illud servitutis, quo manente, nihil ipsis potest esse iucundum. Etenim, quid delectabile videri potest miserrime servienti, cui speciosae, amplaeque fortunae, quae magnam afferre solent voluptatem, aut summo dolori ablatae, aut ne eripiantur aeterno metui sint oportet? quid uxore, quid liberis dulcius? quam tamen ex his sentire dulcedinem potest is, qui se videt nuptias ad alterius petulantiam comparasse, liberos ad alienam libidinem procreasse? patria vero, quae unicuique debet esse iucunda, infinitam affert tristitiam, atque moerorem in servitute conspecta, ubi non solum non auditur ulla vox libera, sed nec etiam ulli sunt liberi cogitatus. Haec quidem cum ab uno pati sit miserum, miserius est a multis, miserrimum vero ab his, quorum avaritia, libido, crudelitas, post hominum memoriam, tyrannorum omnium malitiam excessere. Ergo, hi, quos hac tam infausta vitae conditione sub iugo intolerabilis servitutis opprimitis, omnes in speculis sunt, observant, prae-

stolanturque opportunitatem, qua sese in libertatem asserere possint, quibus quantam spem praestiterit huius adventus exercitus, difficile dictu est. Affecti enim sunt inaestimabili, atque incredibili alacritate, seseque iam pedem posuisse in possessionem desperatae quondam libertatis existimant.

Nunc autem ad ineptias rediens tuas, adhuc minis omnia terrens, de secreto mentium subditorum nostrorum male sentis, peius auguras, et pessimum minitaris. Inquis, enim:

Atque, ut omittam ceteros vestros inimicos, quibus nihil videtur antiquius, quam ut aliquando de cruento illo superbiae scopulo corruatis, ecce contra perfidiam vestram venit, his armis et copiis, hisque armorum ducibus instructus exercitus, ut maiori quidem potentia, quam vestra sit ea, qua tamen adeo superbitis, ut arrogantia vestra tolerari vix possit, extimescendus esse videatur; venitque non tam avide eo missus quam desideratus, atque expectatus a vestris.

Et unde, precor, ista coniectas? Iam bis bellum cum domino tuo gessit, immo substinuit populus Florentinus, et nunc tertium pendet. An primo forte bello tales nostros vidisti subditos, ut ex ratione praeteriti possis illa, quae scribis, inferre? Sed verba, quae praemittis, ante omnia ventilemus. *Vt omittam*, dicis, *ceteros vestros inimicos*. Vbi sunt, obsecro, nostri nominis inimici? Si dominum tuum tollas, sique, sicut decet, auferas quos invidia nostrae felicitatis excoquit, et pellacitas tui ducis adscivit, exosos invidia facit, offensio vero generat inimicos, ut cum nullos enumerare possis, quibus dederimus ex iniuria causam quod inimici sint, non potueris omittere quod non est, nec debueris Florentinorum nomen talibus mendaciis onerare, licet ipsos gratis, cur, enim, assignare non potes, elegeris inimicos. Quod autem addis, *quibus nihil videtur antiquius*, dicas mihi velim, oratorum optime, quid ibi significet hoc nomen *antiquius*, et cum per ipsum significare velis, ut arbitror, non praerogativam temporis, sed affectus,

si nihil eis videtur optabilius, quam ut aliquando de cruento illo scopulo corruamus, non succedit magis eis in ipsorum optatibus aliis quam in isto, immo tanto minus, quanto magis hoc duxerint exoptandum. Credo te ſorte tamen illud optare, sed meliora vota, Divinaque Misericordia praevalebit, et nos a servitutis laqueo, quem nobis parari denuntias, praeservabit. Et ut ad exercitum, quem minaris, redeam: *Venit*, inquis, *non tam avide eo missus quam desideratus, atque expectatus a vestris, vestris, inquam, si ita sunt appellandi, quorum cum in fortunas et corpora crudele, et avarum habeatis imperium, nihil minus quam animos possidetis. Sperant equidem, hoc uno assertore suae libertatis exercitu, vobis prolapsis in servitutem, dignitatem pristinam, quam sibi per vos ereptam lugent, tandem esse recuperaturos. Itaque arma haec omnes hi populi, quos sub acerbissima tyrannide suffocatis, expectant, ut cum tempus, occasionemque perspexerint, excutiant iugum illud servitutis, quo manente, nihil*

ipsis potest esse iucundum. Ergo, domini tui, tyrannique crudelis exercitum desideratum, et expectatum a nostris putas? Vidisti priore bello per effectum, quantum secundo posses, deberesque sperare de nostrorum mentibus subditorum. Vidisti quidem, et nisi fores insensata bellua, potuisti plusquam satis addiscere quid sperandum de mentibus subditorum nostrorum; ut cum quo possis exemplo, quae somnias sperare, vel dicere, omnino non habeas, sed ex praeteritis oppositum monearis, certum sit, te captum ambitu, splendoreque verborum tam stulte quam reprehensibiliter delirare. Nam quod nostros subditos, dignitate pristina spoliatos, dicis acerbissima tyrannide suffocatos, tale quidem est, quod te tam falsa dicere si quis arguerit, non habeas quid excuses. Tyrannide ne suffocantur, aut dignitate pristina spoliati sunt Florentinorum subditi, quos vel urbs nostra constituit, atque fecit, vel de tyrannorum manibus eruit, aut recepit? qui sunt vel nobiscum in libertate nati, vel de miserrimae servitutis angustiis in dulcedi-

nem libertatis adsciti? Num iugum excutere cupiunt, quod non habent, vel dulce libertatis frenum, quod est iure vivere, legibusque, quibus omnes subiacent, obedire, desiderant in tyrannicum domini tui iugum, ut arbitrari te simulas, commutare? Desino nunc mirari, quod multoties summo cum stupore mecum conquestus sum. Conquerebar, enim, tot gentes, tot urbes, tot oppida, quot domini tui iugum premit, saevae nimis tyrannidi subiacere; mirabarque quod infinita Dei dignitas, vel benignitas hoc tam longo tempore toleraret. Sed ex te video, mihique firmiter persuasi, vos adeo servitute delectari, quod non possetis sine domino vivere, nec sciretis in libertatis licentiosa dulcedine permanere; legibus obsequi, quae cunctos aequalitatis iustissima ratione respiciunt, grave vobis iugum, et horrenda servitus est; obedire vero tyranno, qui cuncta pro suae voluntatis moderatur arbitrio, summa vobis est libertas, et inaestimabilis dignitas; et ob id putas illam Populi Florentini partem, quae degit extra nostrae civitatis moenia, vel in municipiis, vel in

agris, quos nescis quanta libertate fruantur, appetere, quia subditi sunt urbi nostrae, sub vestro domino servitutem. Abest, et absit, oro, tantus furor, tantaque dementia ab eis, quorum gloria singularis sit, vel nativitate, vel lege, vel incremento, donoque fortunae, quod, quoniam nostri sint, se possint dicere Florentinos. Quid, enim, est Florentinum esse, nisi tam natura, quam lege civem esse Romanum, et per consequens liberum, et non servum? Proprium enim est Romanae nationis, et sanguinis, divinitatis munus, quod *libertas* dicitur, et adeo proprium, quod qui desierit esse liber, nec Romanus civis, nec etiam Florentinus rationabiliter dici possit, quod donum, quaeve gloriosa nomina quis velit amittere, nisi qui nihil curat de libero servus esse? Desinas, igitur, divinare tam stulta, quae nec potes de praeteriti ratione percipere, nec vides iuxta blanditias tuas, licet tempus illud iam longe transierit, evenisse. Nec scio quam probabiliter dixeris, tyranni crudelis exercitum, libertatis assertorem, et quod subditi debeant nostri,

nobis prolapsis in servitutem, dignitatem pristinam, quam sibi per nos ereptam lugeant, recuperare. O verbum oratorium, tyranni crudelis exercitum, libertatis assertorem, quod sit plusquam ridiculum, appellare. Quos credis legentibus stultitias tuas, cum ad id verbum venerint, te moturum esse cachinnos? Miror quod aliquando tua haec relegens, te nunquam intellexeris erravisse. Quis, enim, non videt quam inepte coniungatur exercitui tyrannico assertio libertatis? Quis non dicat te tibi contrarium esse, cum exercitu, quem assertorem libertatis dicis, nos in servitutem prolapsuros esse confirmes? Assertor ne libertatis in servitutem trudit? Aut tam stulti subditi nostri sunt, quod servitute nostra sperent maiorem habere, quam obtineant, libertatem? Sed ulterius accedentes videamus, quomodo probes quod, manente subiectione subditorum nostrorum, nihil ipsis possit esse iucundum. Subdis namque. Etenim, quid delectabile videri potest miserrime servienti, cui speciosae, magnaeque fortunae, quae magnam afferre solent voluptatem, aut summo do-

lori ablatae, aut ne eripiantur aeterno metui sint oportet? Quid uxore, quid liberis dulcius? Quam tamen ex his sentire dulcedinem potest is, qui se videt nuptias ad alterius petulantiam comparasse, liberos ad alienam libidinem procreasse? Patria vero, quae unicuique debet esse iucunda, infinitam affert tristitiam, atque moerorem in servitute conspecta, ubi non solum non auditur ulla vox libera, sed nec etiam ulli liberi cogitatus. Haec quidem, cum ab uno pati sit miserum, miserius est a multis, miserrimum vero ab his, quorum avaritia, libido, crudelitas, post hominum memoriam, tyrannorum omnium malitiam excessere. Haec omnia tua sunt, quae quidem si negaverim esse vera, memetipsum te stultiorem, vanissimumque fatebor. Verissima namque sunt, quibus adiicias velim, quod nihil miserius esse potest, quam de vita, neceque, de statu, vel splendore dignitatis, arbitrio, crudelitate, vel etiam bonitate cuiuspiam, qui tyrannus sit, die, noctuque pendere. Quis, enim, securus comedit, securus vigilat, vel securus dormit, qui capiti suo continuo videt

imminere securim, qui videt quod ad domini sui voluntatem illa sit in iugulum descensura, qui minimo dominicae suspicionis motu de vita periclitetur, qui se videt cunctorum, qui dominantis aures possint imbuere, formidare relatus, quibus lethale sit domino suo vel leviter displicere? Haec, et alia, quae recenses, sine scrupulo te tuosque conservos respiciunt, et dominum notant tuum, sub cuius imperio sunt omnia, quae verissime deplorasti, quaeve de tyrannorum subditis annotavi. Quae quidem verba, quoniam contra propositum tuum sunt, credo Deum, qui plenitudo veritatum est, tibi taliter inspirasse, quod tacere non potuisti, quando scriberes; fors etiam ex proposito factum est, ut praestigiosissimus es, quod in tuorum admonitionem ista proferres. Vtcumque tamen fuerit, certum est te verbis illis elisisse domini tui causam, deterruisse nos, et nostros, ut mortem prius, quam ea, quae desideranda praedicas, eligamus, simulque conservos tuos quid optare, quidque moliri debeant, monuisti. Habeo tibi gratias, easque non ma-

gnas solummodo, sed ingentes, qui talia scribere, licet minus oratorie, licet contra causam, quam tueris, in hoc te gesseris, non es veritus, sed libere, sicut veridicum decuit, ausus es. Nihil, enim, maius pro nobis quisquam posset, vel efficacius affirmasse. Sed instabis. Nonne, cum miserum dixerim esse haec ab uno pati, miserius a multis addidi, miserrimumque ab his, qui tyrannorum malitiam excessere? Dixisti, fateor; sed cum de nobis nullam facias mentionem, et notum sit omnibus, nisi forsitan omni sensu caruerint, eorum aliquid, quae dixisti, quaeque ego ipse subieci, statum nullo modo respicere popularem; publicumque sit, et notorium nullum orbis populum magis impatientem esse talium rerum quam genus, et populum Florentinum, nolo quod nos non tangit, quodque nobis non imponis, nec possis imponere, nam esset omnino supervacuum, excusare, relinquoque tuis dominis et ipsorum dominio talem notam, sive fuerit unus, cui talia licuerint, sive sint multi, sive fuerint etiam qui tyrannorum omnium malignitatem excesserint, excusandam, ti-

bique concedo, requirens obnixius quod nos doceas apud quem rhetorem legeris, vel apud quem inveneris oratorem, cum officium in aliquem invehendi susceperis, illi maledicere, pro quo loquaris, vel singulariter adversariis imponere, quod ipsi possint evidentia rerum, omniumque consensu in illos reflectere, quos tueris; ut ridendum sit quod veluti concludens in huius loci materia subiecisti. Scribis, etenim: *Ergo hi, quos hac tam infausta vitae conditione sub iugo intolerabilis servitutis opprimitis, omnes in speculis sunt, observant, praestolanturque opportunitatem, qua sese in libertatem possint asserere, quibus quantam spem praestiterit huius adventus exercitus, difficile dictu est. Affecti enim sunt inaestimabili, atque incredibili alacritate, seseque iam pedem posuisse in possessionem desperatae quondam libertatis existimant.* Non potest ex stulte praemissis sequi nisi stulta conclusio. Stulte dixisti, nec solum stulte, sed false, nostros subditos esse servos; stultius resumis quod infausta vitae conditione, iugo servitutis intolerabilis op-

primantur, nec stultius solum, sed mendacius; stultissime vero subinfers, quod omnes in speculis sint, observent, et praestolentur nescio quam opportunitatem ut se possint in libertatem asserere. Quae, vel ubi sunt hae speculae? quanam ex orbis parte nobis eas, si quaerere voluerimus, assignabis? In quam maiorem libertatem subditi nostri se possunt asserere? Difficile dictu dicis quantam spem eis praestiterit adventus huius exercitus. Non difficile solum fateor, sed impossibile; solus enim Deus novit; quod enim non est, quomodo veraciter dici potest? Difficile quidem dicere, quot sint in mari pisces; quot autem ibi stellae vel sidera sint, cum nulla prorsus sint, non est aliquo modo possibile; solus enim Deus novit quod astra maris ambitu non continentur. Ipse quidem, qui summa, et perfectissima notitia rerum, et veritas est, sicut scire non potest, quod aliqua sidera sint ibi, cum nulla sint, sic scire non potest quot sint. Et nedum aestimari non potest alacritas, quae nulla sit, sed nec etiam assignari. Nec sperare possunt nostri subditi maio-

rem quam habeant libertatem, nec unquam potuerunt quam habeant desperare; spes, enim, et desperatio, sicut quod non habemus respiciunt; sic eorum, quae fuerint in manibus nostris omninò non sunt; alias autem spes esset in patria, quae solum habetur in via. Sed iam ab his, quae nobis ex tuis praescripsimus, facessendum est, et ad alia, quae sequuntur, per ordinem, quem promísimus, veniamus. Subdis, ergo:

Neque vos tantum Sancti Miniatis oppidi extollat illa quidem oppidanis infelix, vobis, ut videtur, fortunata receptio, quantum terrificet tam cito properata rebellio, ex qua quid animi sit reliquis municipiis, atque urbibus, pari servientibus calamitate, licet intelligatis; quibus, mihi credite, illius magnanimi quidem, sed vel praecipitis nimium, vel proditi, atque deserti, liberatoris patriae exilium nequaquam prae metu voluntates extinguet, sed admonebit, ut diligentius cogitent suis rebus esse consulendum.

Neque vos, inquis, *tantum oppidi*

Sancti Miniatis extollat illa quidem oppidanis infelix, vobis, ut videtur, fortunata receptio, quantum terrificet tam cito properata rebellio. Infelix ne terrigenis illius oppidi fuit mutatio de servitute in libertatem, de rabie civilis belli, deque obsidionis urgentissimae periculis in dulcedinem securitatis, et pacis? Fuit, fuit illa, si nescis, exclusio, qua viperam saevientem, tyrannidemque Ligusticam, ex illo potentissimo castro praecipitem dedimus, gloriosissima nobis, optatissima, faustaque municipibus illis, qui saeva fame peribant, iugoque crudelissimae tyrannidis premebantur; fuit toti patriae salutaris, vobisque, si rectum aliquid saperetis, exemplo, ne spem tentandi, vel acquirendi sumeritis in posterum illa, quae non potuit vestra potentia, recenti victoria tumens, moenibusque nostris imminens, et infesta tueri. Et, ut rem totam certa ratione cognoscas, forte quidem nondum editus eras in lucem, paucis accipe summam rerum. Cum populus Sancti Miniatis contrariis factionibus dissideret, tandem inter principes factionis, quae potentior erat, quam Ciac-

cionum dicebant, orta contentio, sceleratissima movit arma, cuius rei causa populus ille coepit novae sectionis studiis dissidere; cumque caedes horrenda commissa fuisset, occisores cum paucis exclusi sunt, tantaque fuit paucorum rabies, quod nunquam concordiae modus repertus est, his conquerentibus inexcusabiles, ut eis videbatur, caedes, aliis ponderantibus tantae rei causas, quas dignas non ducebant, ut ab altis deberent animis tolerari. Cumque malum hoc intestinum in dies cresceret, pullulantibus quotide magis indignationibus, quas augebant iniuriae, succendebat invidia, spesque variae nutriebant, eo deventum est, ut unius sectionis arbitrio, ceteris patria pulsis, aut in patria ipsa prostratis, illa res publica regeretur. Nec contenti sunt intra se furere, sed venenum suum contra nos evomentes, quasdam Imperatoris Caroli tertii copias, quas praemissas in Etruriam rabies illa susceperat, spe praedae nostros in fines hostiliter impulerunt. Post Imperatoris vero discessum, cum maneret alta Florentini populi mente repositum vulnus illud iniuriae, Commune

nostrum ascitis, quos intrinsecorum expulerat superbia, captis montibus circa castrum illud, multa castellorum opera cunctos aditus obsidionis indagine clausit. Tunc autem domini tui socer, et patruus Bernabos, aeterna nepotis, et generi sui nota, castrum illud de manibus Imperialis Vicarii suscipiens, sic obsessum magna gentium suarum potentia munivit. Florentini versa vice obsidionem urgent, castella multiplicant, munitiones extendunt, fameque cogunt populum, et inclusa tyranni subsidia laborare. Compulsus igitur Bernabos obsessis opem ferre, Ioannem Haucut Anglicorum (1), qui latrociniis ve-

(1) Hic natione Anglus Florentinarum Equestrium Copiarum supremus Dux obiit Florentiae die XVI. Martii MCCCXCIV. Quos honores funebres grati animi ergo Respublica nostra ei tribuisset, his verbis Scipio Ammiratus T. II. *pag.* 844. *Historiae Florent.* describit: *Deliberò la Signoria, come a Capitano valoroso, e benemerito della Repubblica di fargli tutto questo onore, che si convenisse, e per questo elesse cittadini, a' quali commisse, che senza guardare a spesa alcuna s' ingegnassero d' onorarlo, e di fargli la pompa funebre molto magni-*

xabant Italiam, ducem stipendio magno conduxit; cumque Pisarum in finibus ha-

fica. Fu ordinato, che egli si seppellisse per allora nel coro di Santa Maria del Fiore, e che Pagolo Vccello dipintore molto eccellente lo ritraesse a cavallo in una facciata di quella, si come ancora oggi si vede; infin che si facesse una grande, e nobile sepoltura di marmo, ove tutti i suoi fatti illustri diligentemente da buoni maestri fossero intagliati. Fu poi ordinata la bara adorna di drappi d'oro ricchissimamente, e di velluti vermigli in su la piazza de' Signori, e deputati tutti i cavalieri della città; i quali con essa andassero a levare il corpo del morto Capitano. Ma raccontare minutamente l'ordine di tali Esequie, il numero de' doppieri, le bandiere, e targhe date, i destrieri coverti di sopravvesti d'oro, gli abiti neri distribuiti alla moglie, a' figliuoli, e alla sua famiglia, che non era piccola, sarebbe per avventura opera più tosto ambiziosa, che conveniente alla gravità dell'istoria. Egli preso, e portato finalmente scoperto sulla detta bara sulla fonte di S. Giovanni coperta di finissimi broccati, et egli vestito d'un drappo d'oro, quivi fu pianto dalle matrone Fiorentine. Ivi a S. Maria condotto, e posto sotto l'arca, oltre i divini Vffici, fu da alcuno eloquente oratore di quel tempo facondamente lodato.

berent castra, Florentini sperantes victoriam ad expugnandum eos omnes suas equestres copias, et Capitaneum transmiserunt. Sed nullis in rebus mortalium votis, ordinationibusque respondet minus spes, et audacia quam in bellis. Aquarum, enim, copia coenosum solum, et itineris defatigatio, et sui fiducia, cum infestis signis nostrae gentes nimis audacter in hostes ruunt, expectantibus victoriam dedit, captoque Capitaneo, cunctisque nostris copiis profligatis, post biduum excurrunt hostes obsidionem solvere, liberareque conclusos. Florentini vero, quo Romanum genus scias, maiorum nostrorum more, rebus adversis animosiores, novis praesidiis cuncta firmaverant, moxque conspectis hostibus, non sicut mos est victis, sed animo, quo victores, non stant, quod satis erat, pro vallo solum, sed extra munitiones occurrentes, hostibus manus conferunt, vim repellunt, et mirantes resistentiam hostes, retrocedere, pedemque sistere coegerunt. Interea venit dux hostium, rei bellicae peritissimus, considerat castri situm, munitionum op-

portunitatem, audaciam obsidentium, nihilque minus ratus, quam cum illis tentare fortunam, via, qua dabatur, aliquos in oppidum mittit, qui, vix obtento transitu, tandem intra suorum moenia recepti sunt: ex consilio quidem, cum intrantes oneri futuros obsessis scirent, plena resistentia facta non est; satis, enim, fuit ostendere quod poterant facile prohiberi. Processit ergo dux illarum gentium, et castra movens infestis signis urbem nostram petit, et cum nullus esset resistendi modus, portis imminet, et agros undique populatur. Interea nostri fide, et industria simplicis cuiusdam hominis, cui *Luparello* nomen erat, oppidi muro fracto, nocturnum occupant aditum; fit ingens intra municipium clamor, caeduntur vigiles, magna pars exercitus nostri irrupit intus, subitoque totum obtinent oppidum, et quidquid ibi tyranni copiarum fuit, nostris praeda fuere, nisi qui potuerunt ad arcis praesidium penetrare. Nuncius huius insperatae victoriae post ortum solis venit in urbem, moxque tanta fuit in civitate laetitia, tantus plausus, quod calamus

non posset exprimere. Simul et hostes, exercitus scilicet Anglicorum, occupationis accepta notitia, tanta rerum novitate perculsus abiit, et versus amissum oppidum, si quid forte recuperari posset, properanter pergunt. Nostri vero cum oppidanis arcem, et quod ibi praesidium erat, magnis undique clamoribus aggrediuntur, et expugnare parant. Illi suis viribus, locoque, licet munitissimo, et inexpugnabili, diffidentes, deditionem faciunt, et recedunt illaesi; nostri potiti loco viperam vestram, quae flabellante vexillo turri summae celsitudinis insidebat, in praeceps deturbant tanta laetitia, tantoque oppidanorum favore, et alacritate, quantam vix fecisse Graecia legitur, cum T. Quintius Flaminius edicto consulari cunctas Graeciae civitates, quae Philippi iugum tulerant, liberas, et immunes esse pronuntiavit. Haec fuit nostra Sancti Miniatis receptio, quod quidem divina manu datum recepimus, nec rebellionem devotissimus ille populus ullis unquam temporibus attentavit, sed novitati quam improbus ille proditor, quem liberatorem patriae vocas,

anno nonagesimo sexto praeteriti saeculi turpiter, temereque tentavit, solus populus Sancti Miniatis, sine nostris, aliis gentibus mira concordia restitit, et eum igni, ferroque circumseptum viriliter expulit, et nisi socios deseruisset, beneficio noctis aufugiens, ipsum virum, ut opinaris, magnanimum confecisset; ut mirandum sit, qua ratione post illa verba, quae retuli, *tam cito properata rebellio*, subieceris: *Ex qua quid animi sit ceteris municipiis, atque urbibus, pari servientibus calamitate, licet intelligatis. Quibus, mihi credite, illius magnanimi quidem, sed vel praecipitis nimium, vel proditi, atque deserti, liberatoris patriae exilium nequaquam prae metu voluntates extinguet, sed admonebit, ut diligentius cogitent suis rebus esse consulendum*. Ex tam cito properata rebellione deducis, nobis licitum intelligere, *quid animi sit reliquis municipiis, atque urbibus pari calamitate servientibus*. Si verum est exemplum, tenendum est nobis, omnibus subditis nostris animum esse firmissimum, ut nihil mutari cupiant, et

quod futuri sint cunctis res novas tentantibus inimici. Fuit ille vir magnanimus, de quo sentis, in Palatio Vicarii. Mactavit optimum virum, cuius nomen, cum pro patria oppetierit, nulla unquam delebit oblivio, proditor infandus iste, quem laudas, mactavit, inquam, senem iuvenis amicabiliter receptus, armatus inermem, confidentem perfidus, bellicosus imbellem, multis stipatus sociis pene solum, provisus incautum, ut nihil indignabilius, ut nihil effeminatius, et inhonestius, ut nihil pusillanimius, ut nihil illaudabilius, ut nihil ignavius, ut nihil ingloriosius, ut nihil timidius, et tandem, nihil undique sceleratius potuerit perpetrari. Magnanimum licet hunc voces, qui scelestas manus contra patriam movit, pro tyranno Florentinis, pro naturalique Florentini nominis inimico, non ut dominaretur, quod saltem alti spiritus est, sed ut, quo nihil miserius cogitari potest, in servitutem submersa patria, tanti mali causa sceleratiore quam alii servitute serviret. Sperabat, tamen, ingentes forte divitias, magna stipendia, maximam domini confidentiam,

et altissimum sibi statum, et alia multa, quae scelerata facinora cogitantes sibi proponunt, quibusque quandoque promissis potitum iri sine dubitatione confidunt, quae tamen, licet plerumque magna ex parte succedant, semper in uno deficiunt; nunquam enim proditores confidentiam assequi potuerunt, semper namque formidolosi sunt ne redeuntes ad ingenium fidem rumpant. Et ut hanc particulam concludamus, semel Dei digito castrum illud in fidem protectionemque recepimus, occupantem ipsum vestram viperam excludentes, nulla per Dei gratiam unquam oppidanorum rebellio fuit secuta, sed semper in fide manserunt. Aliquoties per improbos quosdam culpa, et scelere domini tui, cum in pace secum essemus, fraudulens tentata proditio; et illa tam cito properata rebellio, de qua tangis, rebellio quidem properata non fuit; viginti septem, enim, annis iam exactis, postquam castrum illud nobis additum est, rebellionem attentavit proditor ille patriae, quem magnanimum vocas, melius tamen praecipitem dicis, non desertum, ut ais, sed plane deserto-

rem, honoris, famae, patriae, sociorumque, quos fugiens prodidit, atque deseruit. Attentavit, enim, rebellionem, non perfecit; erat in palatio, quod praesidium quoddam est, et non mediocre praesidium, magnanimus ille tuus proditor, et, sicut erat unius factionis princeps, clamat, et invocat ille suos, hortatur omnes ad libertatem, ad finemque tributorum, et onerum, quae gravissima quidem sunt malitia temporum, omnes oppidanos invitat, quibus cogitabat, ut facile poterat, animos audientium permovere. Clamat, inquam, ille, silet populus, et utraque factio, depositis contrariis dissensionum studiis, in unum coeunt, arma sumunt, palatium circumdant, et illum suorum requirentem fidem, promittentem omnibus omnia, cuncti clamoribus, igni, ferroque petunt, palatii pontem, et portam incendunt. Ille, dimissá sociorum parte, per posticum fugit. Eiecta peste, sublatoque periculo, cuncti laetitia simul exultantes superis gratias agunt, dominis suis, a quibus petebant auxilia, rem significant. Et quis in illa rerum novitate de tanto populo repertus

est, qui non summis studiis exitium eius intenderet, servaret fidem dominis, et exclusione proditoris non laetaretur, fugam, salutemque doleret? Quae cum ita sint, clarissima quidem sunt, quam Sancti Miniatis fortunatam receptionem vocas, immo vocare potes, nisi primam illam, quam seriose descripsi? Quam properatam rebellionem appellas, quae cum secuta non sit, rebellio dici nequit? Nam, si defensionem illam, contra maledicti proditoris illius conatus factam, Sancti Miniatis receptionem intelligis, si conatus illos acceleratam forte nimis rebellionem dicis, cur ad verba confugis, quae non possint significare quod intendis, quaeque non possint rebus gestis, ut ipsas exprimant, convenire? Nihil minus oratorium est, quam dubiis, et aliud quam intendas, significantibus verbis uti. Sybillarum, et oraculorum est, ut inquit eloquentiae summae Cicero, a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere. Ut me verum dixisse clarum sit, te rationem dicendi, vel parte minima non

tenere. Sed in ulteriora, quae, stultitia fretus tua, subiicis, penetremus.

Age, postquam ad hunc locum pedetentim fluxit oratio, ut in quem formidabilem casum prolapsi sitis, et in quam praecipitem foveam incideritis, si adeo estis dementes, ac caeci, ut non videatis, ostendat; respondere vos cupio quibus e locis, quibusve de horreis inediae vestrae subveniendum esse existimatis, cum ager hic omnis, quem aratis, suapte natura sic Cereri adversus, ut pace integra, atque secura, ad victum urbis ipse non suppetat, hostilibus flammis ardebit, et undique belli clade vastabitur; nisi forte Siciliam, horreum P. R. vestrumque frumentarium, hac aetate praesidium subventuram esse putetis. Sed videte eo vos portu esse privatos, quo vitam et spiritum ducere solebatis, et per Alpium iuga, ex agro Flaminio, quomodo satisfieri possit tantae multitudini iudicate, cum sit transitus ipse difficilis, etiam omni carens molestia belli; at si

ad difficultatem viarum accesserit itinerum infesta turbatio, quae cessare in bello longe, lateque diffuso non potest, cogitare non possum, nisi Iupiter ipse vobis de coelo pluat fruges, vos vel fame sola non esse perituros.

Et quoniam satis est tua verba scripsisse, non resumam aliter quae subnectis; respondebo tamen ad id, quod quaeris, quibus videlicet e locis, et quibus ex horreis inediae nostrae subveniendum existimemus. Respondebo quidem tibi nos subventuros victui nostro ex horreis nostris, ex agro Florentino, et ex illa Italiae parte, quam T. Livius historicorum nobilissimus, ut verba sua referam, dicit quod *Regio sit in primis Italiae fertilis, Etrusci campi, qui Fesulas inter, Aretiumque iacent, frumenti ac pecoris, et omni copia rerum opulenti*. Qui, postquam in ditionem venerunt nostram, Dei gratia nobis ad affluentiam suffecerunt. Nec hostiles flammas, bellicaeque cladis vastationem mineris precor; experti quidem omnia sumus, scimusque quid soleant, quidve possint ista nocere; dimit-

te nobis curam hanc, nec portum, quem accommodatissimum nobis fateor, ablatum nobis obiicias. Bella quidem plurima gessimus cum Pisanis, plusque nocuit eis nos portum illum non habere, quam nobis. Nam quod de Flaminia dicis, adde, si placet, Vmbriam, et Picenum. Non potest, ut autumas, impediri, nec adhuc bellum, quod nobis illatum fuerit, fame nos affecit, licet aliquando pretio res venierint cariori, meminerisque quod cui pecunia suppetit, nihil desit, et impossibile prorsus esse, quod urbem nostram possit aliquis, vel tuus dominus, obsidere. Nec metuas Iovem frumenta nobis de coelo pluiturum; satis erit si mediocriter nobis terra nostra respondeat. Sed quid hoc disputo? Transactum est bellum illud, quod nec famem intulit, nec caritudinem nobis fecit. Tantum quidem soli tuentur urbis nostrae moenia, tuenturque civitates, et oppida, quae tenemus, tuentur montes et flumina, tuentur inaccessibilia loca, tuebitur et nostra potentia, quod frustra tu, et alii talem nobiscum reputabitis rationem, sicut hacte-

nus experientia docuit, et per Dei gratiam edocebit. Et ut Iovem omittam tuum, quem scimus nihil esse, nisi stultitiam gentium, quae manuum suarum opera, veluti divinum aliquid adorabant, scio quod Deus, atque natura mortalibus invisibiliter pluit, et efficit unde vivant. Et sicut solet, et potest Deus uno anno populo suo, licet maximo, non victum solum, sed uhertatem, et copiam inaestimabilem dare, sic et poterit multis annis. Et sicut Israel suum, longo tractu temporis in deserto sine frugibus pavit, sic per misericordiam suam populum pascet suum, medioque bellorum fremitu dabit, et tuebitur nobis fruges, retribuetque nobis misericordiam, quam nunquam huius populi benignitas pauperibus suis negavit, et nedum suis, sed etiam alienis. Et quis in orbe terrarum populus, qui sumptu publico cum penuria, vel fames saevit, subveniat impotentium paupertati, sicut populus Florentinus? Satis est ceteris horrea habere, de quibus alimenta tali pretio depromantur, quod reipublicae non sint damno; pietas autem Florentina conside-

rans quod magnitudinem pretii ferre non possent inopes, quotidianum panem ordinat, multisque locis urbis velut penora statuit, ubi panis vili pretio pauperibus iuxta familiae numerum dispensatur; stat et farina publica semper in foro tali pretio, quod non possunt divites, quibus venalia frumenta sunt, pauperes obsidere, talique diligentia res frumentaria disponitur, quod illa, qua premuntur vicini, caritudo intra nostra moenia non sentitur. Quae quidem provisio, nostra memoria, solius anni spatio, plus exhausit quam centum et quinquaginta millia florenorum; nec unquam incubuit tam gravis, et acerba fames, quod etiam forenses pauperes pellerentur urbe, qui venerant, vel prohiberentur introitu qui venirent. Et quando credis Deum tantae misericordiae meritis defuturum? Cogitaverunt iam Officiales Ecclesiae fame nos opprimere, cum Sicilia simul, et Apulia caritudine laborarent, et ferme quidquid erat in Italia frumenti, totum in manibus eorum esset. Sed aperuit Deus nobis insulas, et horrea Paganorum, ministravitque nobis Maurita-

nia, ministravit et Theucria quamtum oportuit, ut noster populus aleretur; et tu sperabas nos fame perituros, quos nunquam Deus deseruit, sed ubertatem maximam illius belli tempore sua benignitate concessit. Et quoniam rerum exitus docuit te penitus, cum illa scriberes, somniasse, satis sit, quod proxime dictum est, et articulum, qui sequitur, fidèliter rescribamus. Procedens, igitur, inquis.

An fortasse fines vestros tueri posse confiditis? Ego sane non video tantum virium vobis esse, ut quatuor equitûm legionibus, tot, enim, contra vos armantur, possitis obstare. An socii ferent opem rebus afflictis; digna quidem res in summo periculo auxilia implorare sociorum. Sed quis unquam vobis socius fuit, cui vestra superbia non invisa sit? Quem non tergiversationum vestrarum fastidia satiarint? Qui non vos oderit? qui non vestra calamitate laetetur, ut si sine suo periculo fieri possit, vos deleri funditus, atque ex orbe terrarum exturbari non optet? An inania fortassis, et falsa fingo? Bononienses velim

hac in parte respondeant, qui iam annos novem vobiscum societate, et foedere sunt coniuncti, qui primo cum inter eos, ducemque Liguriae dissensio nulla esset, vestram societatem, amicitiamque secuti, priori sese bello non necessario implicuerunt, et cum pace in summa possent spectatores esse alienae fortunae, suam pro salute vestra in discrimen adducere maluerunt, et eo in bello, cuius molem pene totam suis humeris sustinendam esse viderent; quam, enim, aliam offensionem dux iste Ligusticus, cum bellum indiceret, illis obiecit, nisi quod aequo nimis vestram amicitiam foventes, sese vestros omnino sequaces effecissent? Quare dubitandum est nemini, si sese a vestris foederibus abscidissent, illius belli onus sibi nequaquam fuisse subeundum. Sed valuit sociorum integritas, valuit amor, valuit opinio. Itaque in rebus duris, atque asperis vos, contra quam dignum erat, praepotenti, et vicino domino magno cum suo periculo praetulerunt. Vos vero contra hos amicos, et socios propitios,

tam constantes, tam veteres, tam probatos, quales deinde in media pace fueritis ipsi viderunt, et omnis non sine stupore quodam vidit Italia; hoc mihi quamquam satis impudentissimi non negaturos esse confido, vos cum his tam fidelibus sociis non mediocrem controversiam habuisse vestra culpa susceptam, parumque abfuisse, quin bello, atque armis totam eam causam decerneretis, neque ullum amicitiae vetus officium, non communium fortunarum, laborumque memoriam, quae una in coniungendis animis hominum valeat plurimum, non concordiae curam, non ullius gratiam societatis, non denique religionem foederum tenuisse, sed metum; hic unus vobis contra socios, contra fidem, contra divina, et humana iura furentibus extorsit arma de manibus. Hi, ergo, nunc socii humeros suos ruinae vestrae subiiciant; non sunt adeo, ut opinor, insani, ut pro his, quos non sine ratione deletos, atque deperditos velint, arma suscipiant, sed accurrent,

dicet aliquis, ad commune periculum repellendum, ad commune incendium restinguendum. Primum quidem intelligunt neque periculum, neque hoc bellum esse commune; quod vos propriis furoribus accendistis, atque ideo vobis solis substinendum non iniuria existimabunt; deinde, si qua suspicio occupabit animos, et fueritis in ea fingenda fortunati, quod sine ulla intermissione tentatis efficere, profecto magis erit eis curae pro suis defendendis finibus, quam pro vestris liberandis praesidia comparare. A tribus vero tyrannis quid auxilii sit sperandum non satis intelligo; alterius, enim, tenues, atque afflictae sunt, alterius nondum reintegratae fortunae, ut hi ope aliena magis indigeant. A tertio vero tantum abest, ut quidquam expectetis auxilii, ut cum ipse undique circumseptus in medio belli flagrabit incendio, Florentinam opem, ac fidem frustra imploraturus esse videatur. Quare desinite vobis spes vanas, et inutiles conflare de sociis, sed cogitate po-

tius qua ratione, qua spe, quo denique fato, atque fortuna vos soli tantam belli magnitudinem subeatis.

An fortasse fines vestros tueri posse confiditis? Tu ne hoc, Lombarde, nos interrogas? Et qua nos potes ob hoc coniectura, quove exemplo terrere? Florentinus ne vigor, et huius populi magnanimitas, defendendaeque libertatis studium an forte defecit? Crede mihi, longe maiori nos animo dispositos esse libertatem nostram asserere, tuerique, quam vos ignavia, pusillanimitateque vestra, qua nulla maior in orbe terrarum est, assuetos pati foedissimam servitutem. Assuetos dixi, non dispositos, ne videar, sicut tu, de occultis alieni cordis temere iudicare. Forte quidem, quoniam quandoque redit in praecordia virtus, poterit aliquando spiritus Italicus, si prorsus Guinulorum, idest Longobardorum sanguis, posteritasque non estis, in vobis etiam excitari, poteritis adhuc forte vos animi vigore, sicut et lege liberos appellare, civesque Romanos, poteritisque turpe, si Deus vult, excutere iugum, vosque Galliam Cisalpi-

nam, et Gallorum genus gloriosissimum reminisci, cuius proprium est, regia libertate frui, tyrannos odisse, ac velut horrendum aliquid abominari vel levissimam servitutem. Et, ut ad nos redeam, cum perstet animus, suppetant vires, adsit et virtus, fines nostros confidimus nos sine dubio defensum ire. Et licet, ut subdis, tu sane non videas tantum virium nobis esse, ut quatuor equitum legionibus, tot enim, ut inquis, contra nos armantur, possimus obstare, videmus, et sentimus nos, qui scimus audaciam in bello pro muro haberi, qui novimus victoriam non in exercitus multitudine, sed in manibus Dei esse, qui scimus pro nobis esse iustitiam, qui recordamur, quod tu negas, nos genus esse Romanum, qui legimus maiores nostros contra vim maximam hostium saepissime restitisse, parvaque manu non solum defendisse res suas, sed insperatam habuisse victoriam. Videmus, et sentimus, inquam, nos, qui prioris belli fortunam, et exitum recordamur, et scimus, nos de domini tui manibus Paduam, et quidquid circa montes tenebat Euganeos eruisse. Scimus

et inclitum Marchionem Estensem, qui sibi demens adhaeserat, ab eo contra foedera derelictum, et ardente belli turbine, de statu proprio laborantem, nos sibi socium ademisse, quique secum contra nos bellum hostis noster incoeperat, nobiscum, et pro parte nostra nondum etiam socius foedera pacis inivit. Scimus eum, cum inter Lolium et Abduam invictum exercitum nostrum, fines vastantem suos, magno periculo, gravique clade substinuerit ultra mensem vix octo diebus, extremam sociorum nostrorum oram tumidis armeniaca victoria copiis insedisse, tandemque, sicut notum est, amisso peditatu, magnaque exercitus sui parte, non recessisse solummodo, sed fugisse, qua quidem clade millia hominum perierunt. Scimus ab illa fuga victum illum eius exercitum ad dextram Arni ripam in Pisanorum agris habuisse castra continua, nec unquam fines nostros, cum bellaciter Senensium, et Perusinorum territoria quotidianis irruptionibus quateremus, ausos intrare. Sed antequam hinc discedentes ulterius procedamus, dic, obsecro, vir oratorie, qui-

bus historiis invenisti legiones equestres? Quem unquam delectum a quo lingua, rituque Romano legio dicta est, ex equitibus factum esse legisti? Descriptus erat et certus equestris ordo, quibus equi cum stipendiis decreto perpetuo assignati erant, qui iussum, non lectum dabant pro qualitate temporis equitatum. Peditum est delectus, et legio, quam aciei portionem Macedones phalangem, Galli autem catervam vocant, nostri vero tam proprio quam appropriato nomine legionem; equitum autem manum, turmam, aut alam consuevimus appellare. Quae quidem adeo vera sunt, ut nullum diligentem historicum, vel poetam egregium invenies, qui consueverit ista confundere, quique non inveniatur diligenter ista servare; distinguuntur enim haec ab invicem, opposita quadam, et specifica ratione, qua non liceat alterutrum commutare. Sed ut hinc discedam, ad ironiam confugiens inquis: *An socii ferent opem rebus afflictis? Digna quidem res in summo periculo auxilia implorare sociorum. Sed quis unquam socius fuit, cui vestra superbia non sit*

invisa? quem non tergiversationum vestrarum fastidia satiarint? qui non vos oderit? qui non vestra calamitate laetetur? ut si sine suo periculo fieri possit, vos deleri funditus, atque ex orbe terrarum exturbari non optet?

An socii ferent, inquis, *opem?* ferent certe, si non fuerint foedifragi, vel ingrati; ferent, inquam, rebus non afflictis, ut ais, sed integris, atque florentibus, quaeve quotidie per Dei gratiam reflorebunt. Sed ais: *quis unquam socius fuit, cui vestra superbia non sit invisa?* Immo quis sociorum nos superbos duxit, aut unquam conquestus fuit? Non est vitium, quod omnem magis dirimat societatem, quam superbia. Et quis unquam nostram respuit societatem? Quis ea finita foedus non libentissime renovavit? Non sunt haec signa superbiae. Nullius magis societas fugitur, quam superbi. Nullius magis appetitur in Italia, quam populi Florentini. Nihil magis domino tuo, vel libertatis hostibus odiosum est, quam nostra potentia, quam nostrae societates et foedera, quae tot dominorum, et populorum, quot nobis con-

nexi sunt, vera salus, praesensque fuere subsidium, quae qui malitia, vel errore deseruit, cito debitas poenas dedit. Et quem obsecro tergiversationum nostrarum fastidia satiarunt? Quid per tergiversationem intelligis? Non credo relinquere, verso tergo, causam institutam, ut iura diffiniunt, sed, ut arbitror, foedifragium, animi mutationem, et calumniosam inobservantiam promissorum. Quae quidem quis, nisi falsa fingat, Communi nostro potest obiicere? Sed adhuc de sociis loquens nostris addis. *Quis est, qui vos non oderit? qui non vestra calamitate laetetur? ut si sine suo periculo fieri possit, vos deleri funditus, atque ex orbe terrarum exturbari non optet?* Sed ut de odio dimittamus, quod occultum esse solet, et potest, et hoc tibi, qui talia stulte soleas affirmare, sicut tibi rebus arrogas, relinquamus; quis non videt hunc nostrum populum tueri communem causam libertatis Italiae, qui non fateatur victo populo Florentino libertatem stare non posse, qui non agnoscat nobis servitute subactis totam Italiam sine remedio, sine resistentia, et,

ut aiunt, sine sudore, et sanguine servam fore? Quae cum ita sint, hominum stultissime, clariora quidem sunt quam ut negari valeant, quis nos oderit? quis nostra calamitate laetetur? quis nos deleri funditus, atque ex orbe terrarum exturbari nos optet, nisi tu, vel tui similes, quibus nihil pensi, nihilque vilius libertate? Verum stultitiarum tuarum testimonium quaerens, inaniaque, et falsa confingens ais:

Bononienses velim hac in parte respondeant, qui iam annos novem vobiscum societate, et foedere sunt coniuncti, qui primo cum inter eos, ducemque Liguriae dissensio nulla esset, vestram societatem, amicitiamque secuti, priori sese bello non necessario implicuerunt. Et cum pace in summa possent spectatores esse alienae fortunae, suam pro salute vestra in discrimen adducere maluerunt, et in eo bello, cuius molem pene totam suis humeris substinendam esse viderent; quam enim aliam offensionem dux iste Ligusticus, cum bellum indiceret, illis obiecit, nisi quod aequo

nimis vestram amicitiam foventes, sese vestros omnino sequaces effecissent? Quare dubitandum est nemini, si sese a vestris foederibus abscidissent, illius belli onus sibi nequaquam fuisse subeundum. Sed valuit sociorum integritas, valuit amor, valuit opinio. Itaque in rebus duris, atque asperis vos contra quam dignum erat, praepotenti, et vicino domino magno cum suo periculo praetulerunt.

Haec omnia, ni fallor, scribis ad litteram. Quibus quidem verbis tuis bellum, quod contra Bononienses dominus movit tuus, iniustum, et sine legitima causa declaras illatum. Magna quidem domino tuo laus, magnaque iustitia, qui, quod innocuus omnino populus voluerit veteres, probatissimosque socios, et amicos foedifraga pravitate deserere, quod facinus summum erat, bello statuit persequendos; cui cum tam levis, immo prorsus nulla causa suffecerit ut bellum tunc indiceret, credisne fictam aliquam causam ei defuturam fuisse, quandocumque ruptae fidei contaminatos scelere bello persequi decre-

visset? Scio quod ille dominus tuus de belli iustitia nunquam curaverit, aut voluerit disputare, qui nunquam rebus repetitis vel veram, et reáliter illatam conquestus iniuriam, bellum movit. Maxima sibi, summaque iustitia fines ampliare suos semper fuit, spesque sola vincendi. Nunquam respexit causam, sed occasionem, et ipsam acquirendi facultatem. Nunquam bella gessit, ut tutus sine iniuria posset vivere, qui pro potentiae magnitudine certus erat neminem posse vel praesumere, licet concupisceret, ei nocere. Tantum, enim, eminebat inter Italicos, ut stultitia iamdiu summa fuisset in eum rem etiam minimam attentare, cum plusquam satis esset omnibus non offendi, summaque gratia vel solam opinionem suae benivolentiae meruisse. Potuit nos, et alios, crede mihi, favoribus, et pace decipere, qui bello fecit, insidiis, et iniuriis ut quilibet addisceret eum cavere, credoque Dei providentia factum esse, quod talem ambitionem, dominandique libidinem cunctis ostenderet, quod quilibet ab eo vim semper, et semper insidias expectaret. Cumque contra

vim eius praesens, magnumque, ne solum dixerim, remedium esset in populo Florentino, plusquam scribi valeat, te demiror quomodo tam stulte dubitandum esse nemini dixeris, Bononienses sine bellorum onere remansuros fuisse, si se nostris a foederibus abscidissent. Tutiores, ergo, ne fuissent soli quam sociati? Tutiores ne fuissent prodendo socios, atque foedifragi, quam in fide manentes maxima cum integritate defensi? Cogitavit dominus tuus cum simul Commune nostrum, et illos bello peteret, nos ab invicem tam defensione, quam animis separare, certissimeque nos eos defensionis nostrae tam necessitate, quam studio deserturos; sed Florentinorum integritas, et animi magnitudo fide, et prudentia solita stultam fecit sapientiam eius. Vidit, enim, dominus ille tuus nos de defensione nostra securos, magnam partem copiarum nostrarum cum Ioanne Hau-ut equitatus nostri praefecto, relicta Tuscia, Bononiam transmisisse. Vidit, etenim, et obstupuit prius exercitum suum fugatum, quam illuc pervenisse nostra subsidia cognovisset, nosque malorum nostrorum

exemplo, qui simul post insignem Cannensis pugnae cladem in Italia substinebant Hannibalem, et mittebant ad partes Hispaniae Scipionem, vidit, et admiratus est furorem Senensium, gentiumque suarum impetum finibus ardere nostris in Tuscia, retundereque copias, quas Bononiam miserat, in Lombardia. Quae cum ita fuerint, an credis eos nunquam poenitentiam habuisse, quod in fide mansissent, qui se viderint tanta fide, tantaque caritate defensos? Velim Bononienses interroges an ex praeteriti ratione ius habeant, ut nos spe pacis, quam eos habere potuisse priore bello somnias, atque fingis, vel hoc habituros fore promiseris, nos relinquant. An eis nostra superbia fuerit invisa, qui, prinsquam societas inita finem acciperet, nobiscum aliam contraxerunt? An qui tam avide societatis nostrae foedera renovaverunt, tibi fuisse videntur nostris tergiversationibus satiati? Vel spem ponentes in domino tuo, cuius fraudes longe plusquam potentiam metuebant, credis, vel cogitas nos odisse, nostra calamitate laetatum iri? Vel cum in strage nostra claram libertatis

suae ruinam videant, et praesens, ac fidum in salute praesidium, nos ex orbe terrarum exturbari velint, aut funditus cupiant nos deleri? Si non valuisset integritas, si non valuisset amor, si non valuisset nescio quae, ut inquis, opinio, nonne valeret illa necessitas, communioque periculi, quod illi, quos socios vocas, aut etiam alii, nisi desipiant, sicut tu, clarissime videant si sternamur se mox absque remedio perituros? Ista, ista necessitas efficit quod et tu, licet minus oratorie, cum causam destruat tuam, credo cogente rerum potentissima veritate, fateris, ista necessitas, inquam, efficit ut quae contra nos de sociorum malivolentia tam multa connumeras, nihil sint, nisi vana, nisi commentitia, nisi strepitus verborum inanes, ut mox cum ad huius veritatis fundamenta pervenerint, diruantur, et velut fumus, aut pulvis ante venti furentis faciem evanescant. Nunquam mihi visum est oratoris esse, quem virum bonum, dicendi peritum Cato diffinit, vincendi studio pro veris falsa dicere, vel comminisci, quoniam cum viri boni non sit, con-

tra materialem illius diffinitionis particulam certe facit, sed fateri, dicereque quod noceat, summa dicentis imperitia est, cum eius oppositum, quod in eadem diffinitione subiicitur, sit formale. Quare susceptae vastator causae, non orator, te minus admiror, unum, quod sine risu, vel derisu potius, inter haec, quae scribis, legi tam insulse dixisse, videlicet quod Bononienses potuissent priore bello summa in pace spectatores esse alienae fortunae, si nos reliquissent; quam enim aliam offensionem, cum dux ille Ligusticus eis bellum indixit, obiecit, nisi quod aequo nimis amicitiam foventes nostram se sequaces effecissent nostros; orationem oratoriam appositam concludentem: ergo, quoniam ille praetenderit hanc causam, verum est quod summa in pace spectatores fuissent alienae fortunae? Non vides huius tuae rationis infirmitatem, similem illi, quam ex Plauto refert Cicero; *Amicum castigare immane est facinus; nam ego amicum meum hodie non castigabo:* Siquidem ut ille per id quod facturus sit propositum vult probare, sic tu ex eo quod

dominus tuus finxerit illos carituros fuisse bello, niteris demonstrare. Sed iam tuas ineptias dimittamus. Quod autem dicis, Bononienses novem annis nobiscum fuisse foedere sociatos, forte non plures propter aetatem recordaris. Sed longaevior fuit ista coniunctio, quae videlicet incoeperit plusquam viginti sex annis ante maximam Bononiensium capitis diminutionem, quae servitute contrahitur, et in quam intestinis seditionibus, quorumdamque, quibus patria venalis fuit, sceleribus inciderunt; viginti sex annis, inquam, Bononienses, ut vetera dimittam, quae litterarum monimentis, magis quam memoria cuiuspiam, qui viderit, retinentur, ad quae si voluerim me referre, multorum seculorum annales erunt, et tempora recurrenda, socii nostri fuerunt. Quo mirari desinas si nostram praestare tunc videris societatem, quam rescindere contra naturam, quae similia similibus, populos populis, liberosque liberis conciliat, contraque longi temporis consuetudinem, quae quidem altera sit natura, fuisset, praesertim cum ante oculos Bononiensibus cunctis forent

ampla, et officiosa subsidia nostra, quibus iam ex tunc plusquam annis viginti suam defenderant libertatem, continuatio quorum, recensque memoria oblivionem contrahi non sinebant; cum versa vice nihil possent praeter amicitiam, nulla tamen rerum experientia, quoniam necessitas, Dei gratia, non occurrerat, vestitam, praeter unionem foederum, consiliorum communicationem, et in depellendis societatum periculis participationem moderatissimam expensarum. Quod autem inquis, nos, licet impudentissimi simus, non negaturos, cum ipsis non mediocrem controversiam habuisse nostra culpa susceptam, pauloque abfuisse, quin bello, atque armis totam eam causam decerneremus, licet totam vidisse scribas Italiam, tibi forte potuit esse creditum, atque inaniter visum, cuius aures haec ficta, quae refers, relationibus falsis implebant. Nunquam tamen inter nos ulla contentio fuit, quae dissidium faceret, quaeve non in ipsius exortus incunabulis mox extincta sit. Declarant hoc Castruncula, Bruscolis, et Castilionis Gattorum, quorum illud

cum multis iuribus, et dominorum voluntate nostrum esset, noluimus, quod facillimum nobis erat, Bononienses expellere, sed ipsis nullum ius habentibus potentiores cessimus, quoniam eis situ, circumviciniaque convenientius adhaerebat; alterum vero, quo petra scandali tolleretur, dirui maluimus quam tueri. Credo quod magna spes et ingens harum rerum fama domini tui permulcens aures, patriam totam implevit, vosque pene coepta pro confectis assumentes in expectationem maximam erexisse. Quid autem aliud, quod illi suum praetenderent, aut vellent, potes fingere, de quo potuerit inter nos vel minimum aliquid excitari? Discurre per viginti sex annorum spatia, quibus societas nostra, renovatis foederibus viguit, et si potes, invenias aliud quidquam, in quo dici possit, nos ipsorum coeptis iustis, aut iniustis vel leviter occurrisse; ut cum nihil recensere possis, pudeat, pudereque debeat, si non fueris omnino frontis attritae, stultitiam tuam tam largis habenis, licentiam tot mendaciis, totque falsitatibus indulsisse; sciasque nihil eorum, quae

futura dicis, si quid valet ratio, debere contingere, sed socios nostros, utpote nunquam a nobis offensos, quique nihil spei possint habere libertatis, et status retinendi, nisi nos viderint incolumes, atque salvos, cognoscere periculum hoc, et bellum esse commune; certique sunt illud nos nostris non accendisse furoribus, quos sciunt semper fugisse bellum, sed ducem tuum incensum dominandi cupidine nobis, et aliis intulisse. Sed inquis:

Si qua suspicio occupabit animos, et fueritis in ea figenda fortunati, quod sine ulla intermissione tentatis efficere; profecto magis erit eis curae pro suis defendendis finibus, quam pro vestris liberandis praesidia comparare.

Scio quemlibet magis suarum rerum curam habere, quam sociorum; sed cum omnes sciant nostram ruinam suam fore, et defendere nos nihil aliud esse, quam pro suamet libertate pugnare, credisne eos rem, quam propriam esse cognoscunt, tua dementia neglecturos? Nimium tibi fidis, nimium de ea, quam profiteris, eloquentia, quisquis sis, tibimet tuo cum errore blan-

diris, qui putes socios nostros vel spe vanissima bonitatis tui domini, quam nullus vel odio nostro, quod nullus habet, a nostrae defensionis proposito deterrere. Iacta quantum vis sesquipedalia verba, speciosa vocabula, sublimesque sententias; credisne tua sic vestire mendacia, quod fides tibi, vel tuo domino tribuatur, quod conceptum longa rerum experientia metum excutias, quod id, quod perspicacissimi viri velut ante oculos positum intuentur, ratione concluditur, experientiaque probatur, capti syrenarum cantibus valeant oblivisci? Nam, quod dicis:

A tribus vero tyrannis quid auxilii sit sperandum non satis intelligo. Alterius enim tenues, atque afflictae sunt, alterius nondum redintegratae fortunae; a tertio vero tantum abest ut quicquam expectetis auxilii, ut cum ipse circumseptus undique in medio belli flagrabit incendio, Florentinam opem, ac fidem frustra imploraturus esse videatur. Quare desinite vobis spes vanas, et inutiles conflare de sociis; sed cogitate potius qua ratione, qua spe, quo

denique fato, atque fortuna vos soli tantam belli magnitudinem subeatis.

Hoc totum, quod dicis, quis non irrideat, quis non stultissimum esse dicat? Tune praesumis Florentinos admonere, quid non sperent, excitare quod cogitent qua ratione soli sint tanti belli magnitudinem subituri? Num te forte consulent, vel ab eis, qui nesciunt nisi misera ratione servire, hoc est servili conditione subesse, capient monita, vel exemplum? Et quoniam de fato nos interrogas, et fortuna, numquid haec, vel illud, in manibus mortalium sita sunt? Quae cum supra nos sint, nec in nostra potestate versentur, quid aliud possumus respondere, nisi constanter illa necessitate fatali, quae summi Dei voluntas est, illaque fortuna, quam eius dispositio ministrabit, huius belli turbine nos usuros? Vnum autem Dei benignitate non deerit, animus scilicet integer, animus rectus, animus liber, animus ad cuncta, quae Deus vult, invictus, animus constans, et impavidus, et qui nunquam defleturus sit se quidquam, quod pro libertate fieri potuerit, omisisse.

Et ut videas, vir divine, quanto, qualique tenearis errore, dic, obsecro, cum fatum necessitas quaedam sit, quot fatis, et necessitatibus autumas nos subesse; possunt ne, fare, precor, unius rei plures esse necessitates? Nescio si tam stultus eris ut plures audeas affirmare; quod si feceris, quae necessitas necessitati possit accedere, fac assignes. Quod cum fieri non possit, necessitas enim non fuisset, si quid forsitan defuisset, nec accedens necessitas esse posset, si necessitatem aliam inveniret, nescio si videas, aut intelligas quid nos mones. Possunt ad aliquem effectum plura requiri, necessitatem autem unam esse necesse est, ut cum una solum unius rei necessitas sit, unum etiam esse fatum oporteat, et non plura. Qua ratione, qua scientia quaeris, igitur, quo fato putemus illi bello resistere, cum cuiuslibet rei fatum simpliciter unum sit? Et ut pudendum, et puerilem errorem tuum videas, qua grammaticae ratione dicis: *A tribus vero tyrannis quid auxilii sit sperandum, non satis intelligo;* moxque dividens ais, *alterius enim tenues, et af-*

flictae sunt, alterius nondum redintegratae fortunnae; a tertio vero tantum abest etc. Quis grammaticam vel mediocriter doctus tria dividit per partitivum hoc nomen alter, cui non convenit dividere, nisi solummodo circa duo? Stulte nimis, et inconsiderate loqueris, ac imperite, qui nec quid dicas, intelligis, nec quomodo loquaris, advertis. Et tamen audes os in coelum apponere, nec solum tecum male sentire, vel loqui, sed in publicum etiam egredi non vereris. Nam cum de fortuna simul etiam interroges, quae sit inopinatus rei eventus rationali creaturae contingens, tu respondeas velim, qui rem, quae sciri non potest, cum occulta sit, et inopinata, nos interrogas, qui non intelligas stultitiam tuam, qui subditorum nostrorum mentes agnoscis, qui sociorum nostrorum futura consilia stultitia praesentis tua, qui praesupponis alios esse facturos, quod summa stultitia foret solummodo cogitare, qui cum nihil eorum, quae tam stulte praesagire de nobis, et nostris ausus es, videas evenisse, has stultitias tamen in animum induxeris

publicare. Cur autem cum pro tyranno, maximoque, truculentissimoque tyranno domino tuo loquaris, ipsum ducem Ligusticum, et Ausoniae principem vocas, contra vero antiquissimum principem tam dominatu, quam sanguine, Nicolaum illustrem Marchionem Estensem, maiores cuius iam nona generatione late dominati sunt, quinque ante Friderici secundi tempora claruerunt, quorum celebritas, atque fama trium seculorum longitudinem ferme complet, tyrannum appellas? Cur eius commemoras afflictas esse fortunas, quod quidem et machinatio domini tui fuit? Cur inclitum heroa Patavinae civitatis multa iam successione moderatorem, et dominum tam dilectum suis, tamque formidabilem aliis, tamque cunctis suis virtutibus, et animi magnitudine celebratum tyranni denominatione denigras? qui per dominum tuum infidelissimum socium patria expoliatus, atque dominio pulsus, et extorris, solum auxilii nostri spe, tam audacter, tam constanter, et tam alto animo domino tuo Paduam abstulit, et in maximam dominii sui partem semet ipse repo-

suit. An talis civium suorum amor, qui tunc patuit, an tanta virtus, quantam in ipso totus mundus obstupuit, meretur, ut foeda tyrannidis appellatione depravetur? Cur istos, et inclytum dominum Mantuanum, quem tertium intelligis, tyrannos vocas, quos dux ille tuus appellat dominos, dicit filios atque fratres? Quo fit ut vel tu, vel tuus dominus mentiatur. Si verum dixeris, dominus mendax est tuus; si verus sit sermo suus, quod te negaturum esse non credo, clarum efficies quod mentiris. Nec dicas dominicos illos sermones urbanitatis esse, non veritatis, quaenam urbanitas, quae virtus quidem est, in mendacio potest esse? Si falsum est quod urbane dicitur, et assentatio, et mendacium est. Quod malis dominum tuum esse, mendacem, et assentatorem, an veridicum et urbanum? Tu vero cur domini tui non imitaris exemplum? Cur urbane non loqueris sicut ille? Cur plus potest in te metus quam veritas? Cur dominum tuum appellas ducem, qui verissime sit tyrannus? Sed dices; nonne Caesareae Maiestatis auctoritate dux factus est Medio-

lani, Comesque Papiae? Factus est, fateor; si Comites, atque Duces inter spumantes pateras, titubantemque vino procerum, nobiliumque coronam, in Imperii praeiudicium, atque damnum, turpi pecunia, non genere, non virtute, non meritis procreantur. Si possit, qui tyrannidem praescripserit, tyrannusque continuo vivat, nec prius desierit esse tyrannus, in Comitem, vel Ducem legitimum commutari. Si titulus, atque verba sufficiunt, non ad hoc etiam mores, et merita requiruntur? Sed haec in aliud tempus, sunt enim amplissima, reservemus, et ad speranda sociorum subsidia veniamus. Credis ne quod oblitus sit illustris dominus Marchio, licet, ut secundum tempora, quibus loqueris, nos loquamur, adhuc puer sit; credisne inquam, quod non agnoscat, et non recordetur cuius favoribus consanguineus eius fines suos invaserit, et sancti Georgii rebellaverit mediamnem, quam Pulesinum vocant, et quibus fautoribus ipsam recuperaverit, atque confirmaverit statum suum, et totam illam oppresserit pestem, qua facile poterat interire? Cre-

de mihi, recordabitur, et gratitudine mutua, tam praesentis, maximique beneficii stante memoria, non deseret socios praesentes suos. Non dabitur, crede mihi, heros inclitus Patavinus in tam reprobum sensum, quod eos, a quibus principium habuerunt dominationis, et status maiores sui, quos nuper sensit sibi tam propitios, et amicos, quod eorum favoribus quidquid possidet, recuperaverit, atque defenderit, periculo suo relinquens ex parte perfidiae se domini tui committat. Nec circumspectissimus dominus Mantuanus, qui novit dominum tuum quod dicat, qui mecum non est, contra me est, et quod tot laboribus, et expensis cogitaverit, ponte mirabilis fabricae, quem aedificari fecit apud Valesium, rerum mutare naturam, sibique, finibusque suis auferre saluberrimum flumen Mincii, quod civitatem, et paludem irrigat Mantuanam, adeo demens erit, quod se deserat, vel sociorum defensionem, quae sua sit, omittat. Et licet medio belli sit flagraturus incendio, non implorabit frustra Florentinam opem, qui noverunt, et solent etiam

suae defensionis anxii oppressis sociis subvenire, sicut olim patuit, subventione Bononiensium primo bello, et sicut effectus docuit hoc secundo. Talia quidem auxilia per nos, et alios missa sunt ad dominum Mantuanum, quod fuso ducis exercitu, ac copiis omnibus profligatis, si ceterae gentes, sicut nostrae, victoria voluissent uti, non frui, successusque urgere communes, tam modicum reliquiarum fuisset, quod pace tutissima Dei gratia laetaremur. Nunc autem quoniam ultima pars maliloquii tui restat, residuum totum simul continenter in sequentibus describemus.

Nisi forte vobis ferociores animos facit Gallicanum foedus. Miror in hominibus, qui se haberi volunt et prudentes, et callidos, tantam insedisse dementiam, ut spes omnes suas in gente levissima collocarint; mirarer in Italis tantam perversitatem extitisse naturae, ut de Gallis bene sperare possent, nisi vos venenum, ac faecem Italorum iam diu inimicos salutis Italiae cognovissem. Sed per Deum immortalem cum pollens, et fortis exercitus agrum vestrum

populetur, cum castra hostium in vestris finibus habeatis, cum iam denique pro tectis, ac moenibus patriae dimicaturi pene de muris armorum strepitum sentiatis, quid auditis de Gallia illa Transalpina? Afferuntur, credo, quotidie rumores, ac litterae, cuius, quaeso, sententiae? legati regiam, regemque sollicitant, opem ex foedere debitam cadentibus pene rebus implorant, ne a summo rege, quem sibi unum defensorem, et dominum, spreto Caesare, neglecta Romana Ecclesia, concupiverint, in tanto, et tam propinquo periculo deserantur, expostulant, in armis hostem esse, popularique iam fines eius, nisi succurratur, omnia brevi esse ruitura significant, eum esse regem in terris, qui saluti suae consulere possit; praeter eum neminem; obsecrant obtestanturque per sacratissimi diadematis maiestatem, ne desertos ac destitutos ludibrio dedat inimici, eius addunt inimici, qui eis ob hoc maxime infensus sit, quod se et fortunas suas maiestati regiae summa cum devotione commiserint. Miris dein-

de modis animos Gallorum suapte natura leves, ac tumidos inflare student, miris suasionibus adhortari, si adniti parum velint, venisse tempus, et apertam esse occasionem non solum Italiae capiendae, sed ad manum suam imperii transferendi, et ad nutum Ecclesiae redigendae, sese cum Ianua, cum magna Italiae parte esse iam suos; nihil reliquum, oppresso duce Liguriae, quod terra, marique suae magnitudini possit obstare; ducem autem ipsum, quamquam magnum aliquid videatur, primo belli impetu esse casurum. Itaque quibus parum est spei, parumve consilii ad solum patriae defendendum, liberam possessionem Italiae, atque orbis terrae imperium pollicentur. Non sum dubius, ad haec omnia benigna, et grata responsa suscipiunt, Regi salutem amicorum esse cordi, et foedera nuper icta memoriae; bono se illos animo esse iubere, nequaquam eorum necessitati maiestatem regiam defuturam. Et fortasse, cum armatis legionibus egeatis, Galli legationibus prius pro vestra salute in-

tercedendum putant, quod etiam si impetretis est maximum. Interim stabunt illi suis occupati deliciis, fruentur opima in pace opibus suis, dum vos miseri in tanto bellorum incendio conflagratis. Sed age, tueri velint non solum nuda auctoritate, sed armis; ut omittam qualis animus Caesaris, totiusque Germaniae futurus sit, si quis Gallorum motus ad Italiam fiat, cum sibi pro dignitate imperii, cuius in Italia caput est, viderint subeundum esse certamen, ut, inquam, omittam hoc, quod vero propius est, omnem Gallorum impetum non solum posse tardare, sed tollere, atque cohibere; veniant certe Galli, et affletur vobis ab Occidente aura illa salutaris, per quam in summa malorum anxietate respirare possitis; venient tamen eo tempore, ut non ad defendendam vestram salutem, sed ad deplorandum casum, et exequias celebrandas venisse videantur. Quae tamen est ista dementia tam abhorrens ab omni sensu, rationeque perversitas, ut cogitare possitis amplissimum regem officio-

rum plurimorum, sanctissimae societatis, atque affinitatis immemorem, ita Florentinas opes tuendas, ampliandasque suo periculo suscepisse, ut ceterarum rerum omnium negligens, vestrae tantum salutis, et gloriae studiosissimus videatur? Quod si tantam levitatem in eo rege putatis existere, ut pro hoste eum ducat, quem avus quondam suus dignitate decoravit, et regia sibi affinitate coniunxit, quem ipse paulo ante socium, atque amicum habuit, cui denique illustre singularis benivolentiae monimentum regalia dedit insignia ad generis, et sanguinis Vicecomitum laudem sempiternam; si regem hunc, inquam, tam leviter, tam repente mutatum esse putatis, ut hunc sibi sanguine, et recenti admodum societate coniunctum nulla prorsus ad id impellente causa, nisi ut avertat a capitibus vestris impendens malum bello tentet invadere, videte, ne nimis magno errore ducamini. Potuit fortassis vestra calliditas, et illa immoderata fingendi, mentiendique licentia, qua in rebus

omnibus privatis, ac publicis praeter ceteras gentes utimini, in mente regia aliquid suspicionis affigere, quo ipsum abalienatum aliquantulum a Duce Ligustico redderetis. Sed absit, ut tantum vestrae temeritati, atque impudentiae datum sit, ut ad libidinem mentis vestrae arma rex moveat, bellumque suscipiat. Erit sibi ante oculos recens foedus, quod pro utriusque principis dignitate ad nullius iniuriam, atque perniciem ictum fuit. Obversabitur avi imago, gravissimi illius quondam, et sapientissimi regis, cui olim in rebus difficillimis, adversisque temporibus pater huius Galeazius ille magnanimus liberrima voluntate se obtulit, et qua potuit ope non defuit. Redibit in mentem cum regio sanguine bina coniunctio. Subibit animum, quem putatis vestris mendaciis obsedisse, veteris amicitiae recordatio, aliquandoque etiam recognoscet vestras insidias, et intelliget vos pro vestra libidine tam multa de duce optimo, et principe clarissimo fuisse mentitos. Quare non modo suis copiis vos

non defendendos esse existimabit, sed omni dignos supplicio iudicabit, tantumque aberit, ut vobis corruentibus manum det, ut etiam optet assurgentes opprimere. Quod si in regia illa transalpina vestra fraus, plusquam amplissimi ducis integritas, fidesque valuerit, poteruntque vestra praestigia omnium officiorum, et necessitudinum memoriam obscurare; mihi credite, nobis est animus sic Gallis obsistere, ut intelligant, quod maiores sui saepissime experti sunt, perfacile Gallis Italiam petere, victores redire difficile. Verum proverbium illud a nostris hominibus usurpatum scimus, Italiam sepulcrum esse Gallorum. Non exigit locus hic, ut ad priscas historias, et Romanae virtutis exempla vos revocem; quae ipsi nudiustertius vidimus, proferamus in medium. Venit in Italiam dux Andegavensis ille, quem non solum patris regis nomen ornabat, sed qui multos per annos regia fretus potestate, tantis thesauris, atque opibus abundabat, ut a ceteris Galliarum principibus formidabilis vi-

deretur, et venit tanto cum equitatu Gallico, tam valido, et florenti exercitu, ut non modo de regno, ad quod properabat, spem haberet, sed de universae Italiae dominatu; neque enim facile intelligebant homines quisnam tot armatis legionibus, tanto splendori nominis, tantis opibus auderet obstare. Contra erat, qui animo, et virtute sua maius praesidium non habebat, Carolus ille rex optimus, regum decus eximium, quo nihil unquam sol in terris vidit illustrius, et erat novus in regno, nec eo quidem integro, sed intestinis factionibus, procerumque discordiis iam diviso, auri praeterea inops, sed ingentis animi virtute ditissimus. Hic paucis admodum Italorum copiis fretus, ita saepe Gallos afflixit, ita ad extremum contudit, ac dissipavit, ut ex tanta multitudine pauci in patriam redire potuerint, plerique ferro caesi, multi laboribus, inediaque consumpti; in quibus ipse dux periit, hoc uno felix, ne tantae vivus ignominiae, dedecorique restaret. Vos etiam priore bello, quod

cum duce gessistis, egregiam Gallorum in Italiam manum, nobilissimumque, et fortissimum Armeniacensem equitatum pretio, et pollicitationibus conduxistis, eoque freti praesidio spes animo vanas, insulsasque capiebatis; sed cum iam superbiam vestram Italia tota non caperet, sparsit in auras Deus cogitationes inanes, atque impias; vidistis ut repente vir belli, atque pacis artibus illustris, Iacobus de Verme, quem honoris causa nomino, et quo, pace ceterorum dicam, clarius militiae iubar non habet Italia, et hostium ducem cepit, et luce altera reliquum fugientem subsecutus exercitum, ubi primum attigit, dissipavit, ac vicit. Illa, illa fuit insignis, salutarisque victoria, per quam non solum Cisalpina haec Gallia, sed omnis Italia ab ignominia, et vastitate liberata est, quae principis huius Ausonii in omnibus terris, ac nationibus clarum, vobis etiam formidabile nomen fecit, in qua denique, si quid sanitatis haberetis, nisi vos caecos, et miseros in praecipitium ageret infinita temeritas, praesentissimo potuis-

setis exemplo cognoscere, quam vanum, quamque ridiculum sit Gallicanis auxiliis contra Italos sperare victoriam. At vos furor, et rabies, et impatientia quaedam pacis oblivisci faciunt omnium salutarium exemplorum, non tenetis ista memoriae, nihilque nisi crudele imperium, et nefarium mente, cogitationibusque versatis. Potuistis quidem soli, et in vestris manibus situm erat, Italiae pacem dare, sedare tumultus, auferre discordias, res denique Italas tanta tranquillitate componere, quanta non fuerant patrum, avorumque memoria. Nam cum in Italia vos post Liguriae principem scire multa, posse omnia videremini, essetque ille etiam, quam dignitati, et splendori sui nominis conveniret, pacis avidior, propter quam non sine amicorum suorum stomacho ita se haberet humiliter, ita et quaedam indigna quotidie patientissime toleraret, ut et vobis cervices erigeret, qui paci eratis adversi, et eorum, qui melius sentiebant, corda posset inflectere, nil prohibebat, si vobis pacis studium

placuisset, pacem perpetuam esse futuram. Sed abhorrebant curiae vestrae a consilio quietis, et animos vestros urgebant conceptorum scelerum stimuli, et aures vestras sanioribus monitis obstruebant, atque oculos obcaecabant furiae illae pestiferae, quas peccata vestra de sedibus tartareis excitarant. Itaque semper contra salutem Italiae, contra pacem, contra bonorum consilia, contra patriae vestrae statum, ac requiem sic fuistis accensi, ut sine dubitatione videremini non pro cura, et conservatione vestrae reipublicae vigilare, quod unum volebatis intelligi, sed ad civitatis, et libertatis voluntarium interitum festinare. Qui quidem ita iam proximus est, ut et vos iam iam impendentis ruinae terrore concutiat, et universam Italiam ad spectaculum vestrae calamitatis attollat.

Ventum est tandem ad illam invectionis tuae stultitiam, quae calci tui tam inepti sermonis, praecedentique discursui debebatur. Coepisti quidem in nos furere; nunc in auctores nostros, Francorum re-

gem, nationemque Gallicam debaccharis. Principio tamen nos, illosque coniungens, postquam nos cogitare, qua ratione, qua spe, quo denique fato, atque fortuna, soli tantam belli magnitudinem subeamus, velut desperare cuncta nobis necesse sit, admonuisti, subinfers:

Nisi forte vobis ferociores animos facit Gallicanum foedus: moxque velut anguis, quem pressit forte viator, attollens iras, et caerula colla tumens, addis:

Miror in hominibus, qui se haberi volunt et prudentes, et callidos tantam insedisse dementiam, ut spes omnes suas in gente levissima collocarint. Mirarer in Italis tantam perversitatem extitisse naturae, ut de Gallis bene sperare possent, nisi vos venenum, ac faecem Italorum, iamdiu inimicos salutis Italiae cognovissem.

Nisi forte vobis, inquis, *ferociores animos facit Gallicanum foedus*: Si *ferociores* intelligis, idest, magis feros, cave ferocitatem hanc unde somnies provenire posse. Mitissima quidem regis illius, et omnium Gallicorum natura est, benignum

etiam Florentinorum ingenium, ut contra rationem sit congregatis, atque coniunctis, qui natura mites, et benigni sint, nasci feritatem ex eis, vel in feroces ex benignis, et mitibus commutari. Sin autem ferociores, hoc est, fortiores velis, sicut dicimus ferocem militem, idest, manu fortem, sensum hunc, qui virtutis esse soleat, non recuso. Quis autem mundi princeps, aut tantae potentiae populus unquam fuit, nec Romanum excipio, qui potentissimi Christianorum principis illius societate receptus, se non reputet, et ducere debeat fortiorem? Sed prosequeris; *miror in hominibus, qui se haberi volunt prudentes, et callidos, tantam insedisse dementiam, ut spes omnes suas in gente levissima collocarint*. Et dic, obsecro, nunquam ne legisti synonima Ciceronis? lege, si placet, et invenies: Callidus, veterator, vafer, versutus, astutus, subdolus, insidiosus. Quis autem est intellectus tam obtusi, qui se velit callidum, quod maximum, et evitabile vitium, immo vitia, sicut vides, sonat, ab aliquo reputari; qui non calliditatem occultet, et

dissimulet quantum potest? Profecto nihil magis calliditati contrarium quam calliditatem, quam habeas, aperire; nisi forte, qui callidus sit, cupiat fugi, calliditate metui, neve decipere valeat evitari. Prudentes esse cupimus, et videri; parum autem astutos nos apparere volumus, talique moderatione, quod malitiae suspicio penitus auferatur; ut cum Florentini maxime velint, et soleant cum hominibus conversari, nolint, etiam si fortes esse cupiant, callidi apparere veteratores, atque tales, qui merito fugiantur. Denique quid miraris? *Hominibus*, inquis, *qui se velint haberi prudentes, et callidos, tantam insedisse dementiam, ut spes omnes suas in gente levissima collocarint*. Et quis te ferat maiestati tanti Regis, nominique tam celebris nationis adeo turpi sugillatione detrahere, celsitudinemque summi principis, et tam validae gentis, tamque gloriosae nomen levitatis infamia maculare? Semel nomen Christi tam Rex Francorum, quam universae Galliae receperunt. Et qui reges, quae gentes, aut provinciae tenacius huic fundamento verae, certaeque salutis,

vel constantius inhaeserunt? Quis unquam audivit et locum, et gentem in his, quae sunt fidei, vel leviter vacillare? Quonam in loco vel imperiosius, vel vehementius errores extincti, notatique sunt? Vbi fides sincerior, ubi clarior, ubi perfectior, atque constantior est? ut hac sola ratione turpe sit tibi, turpeque cuilibet hanc constantiam, levitatis, quam imponis, infamia depravare. Nam, et ut pietatem erga Deum dimittam, quae gens regi fidelior, quaeve perseverantior, atque paratior animam ponere pro rege suo, pro honore suo, pro iure, veritate, et iustitia sua (1)? Nescio quibus in rebus aliis constantiam desideres, cum in his, quae summa, et gravia sunt, in eis

(1) Hic pro veritate notandum est quod Galli eo tempore, quo Coluccius noster haec, et cetera, quae sequuntur, scribebat, non mentiebatur; at cum pietati erga Deum, observantiae, obedientiae, et obsequio erga Regem se subtrahere voluissent, et Christi fidem funditus evellere, si potuissent, totis viribus essent conati, tunc, ut oculis nostris dolentes inspeximus, diuturna undique universam fere per Europam vastatio, undique desolatio.

plus constantiae, quam in ceteris comperias gentibus. Gens est iucunda, fateor, laeta, cuique nefas sit parcere parto, vel cogitare de crastino. Has naturae bonitates damnas crimine levitatis, quasi tristis aspectus, horrida supercilia, coteraque, quibus Stoicorum gaudebat austeritas, et disciplina, immo tumebat, talia sint, quod nihil aliud rectum possit, aut debeat iudicari. Sciunt Galli in his, in quibus decet esse graves, esse severi, sciunt in aliis esse faciles, esse laeti, ut maior requiratur auctoritas quam tua, vel Lombardi cuiuspiam, quae possit de tantae gentis moribus iudicare. Genus, enim, hominum est apertum, innocuum, benignum, amicabile, cuique sit duplicitas inimica; ut quanto magis cogito bonitatem totius illius gentis, et naturam, minus videam, cur debeat de levitate damnari; ut etiam si spes nostras omnes in gente tot virtutibus conspicua poneremus, nec nos temeritatis possis, aut debeas criminari. Verum serenissimus ille Rex sic voluit nos sibi coniunctos, et socios esse, quod in illa foederum unitate curaverit, atque voluerit

non se solum, sed etiam propinquos nostros, et socios aggregare. Verum in conceptae levitatis accusatione perstans, quam te vides petulanter, et iniquissime cavillari, subdis: *Mirarer in Italis tantam perversitatem extitisse naturae, ut de Gallis bene sperare possent, nisi vos, venenum, ac faecem Italorum, iamdiu inimicos salutis Italiae cognovissem.* O verba pulcra, verba vera, verba digna, quae tu solus incomparabilis artifex maliloquii, mendacissimusque promulges. Pulcrum ne, licet hostis sis, cum falsum dicas, hosti detrahere, minuereque, licet hostium, notam omnibus dignitatem? Quanto melius hic, qui nil molitur inepte, de Teucro loquens ait: *Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat.* Nonne laus, quam feceris hostium, sive viceris, sive victus fueris, laus est, commendatioque laudantis? Estne decus domini tui, cuius potentiam tantam iactas, quod cum Italiae faecibus bellum gerat? Tune, turpis, faetidaque sentina, sterquilinium, et sordium sordes, audes Florentinos faecem Italiae nominare? Faecis hac appellatione

quid intelligis, urbem, an cives? Non credam, Antonium Luschum meum, qui Florentiam vidit, nec aliquem alium, quisquis fuerit, si Florentinam viderit urbem istam, esse vere florem, et electissimam Italiae portionem, nisi prorsus desipiat, negaturum. Quaenam urbs, non in Italia solum, sed in universo terrarum orbe, est moenibus tutior, superbior palatiis, ornatior templis, formosior aedificiis, quae porticu clarior, platea speciosior, viarum amplitudine laetior; quae populo maior, gloriosior civibus, inexhaustior divitiis, cultior agris; quae gratior situ, salubrior coelo, mundior caeno; quae puteis crebrior, aquis suavior, operosior artibus, admirabilior omnibus; quaenam aedificatior villis, potentior oppidis, municipibus numerosior, agricolis abundantior; quae civitas portu carens tot invehit, tot emittit? Vbi mercatura maior, varietate rerum copiosior, ingeniisque subtilioribus exercitatior? ubinam viri clariores? Et, ut infinitos omittam, quos recensere taedium foret, rebus gestis insignes, armis strenuos, potentes iustis

dominationibus, et famosos, ubi Dantes? ubi Petrarca? ubi Boccaccius? dic, precor, ubinam summum Italiae loco, virisque, foedissima bellua, poteris assignare, si Florentini, sique Florentia faex Italiae dici possunt? Vellet Deus quod stante gloria, stanteque Republica Florentina, in eo, quod est libertatis, atque potentiae, talis esset, si tamen esse potest, reliqua mediae nominationis Italia, quod comparati ceteris Florentini faex Italiae dici possent. Verum quia tantus excessus rebus his corruptibilibus impossibilis prorsus est, pudeat te, spurcissimorum spurcissime, stercus, et egeries Lombardorum, vel potius Longobardorum, Florentinos, verum, et unicum Italiae decus, faecem Italiae nominare. Nam quod venenum etiam nos Italiae vocitas, adeo falsum est, quod Ianuenses, et Veneti, maris inferi, superique principes, ac domini, Florentinorum incolatum multi faciant, et cum eis libentissime conversentur, et vivant, non fugiant ut venenum, quod similiter tota facit Italia, faciunt et omnes orbis undique nationes. Quod adeo verum est, quod artificiose

non virus, non toxicum dixeris, sed polysema locutione venenum, quod vocabulum exprimere tincturae soleat ornamentum, sicut apud Severinum legitur: *Nec lucida vellera serum Tyrio miscere veneno*. Cum, enim, nec vere, nec aliqua ratione dici possit Florentinos esse virus, sed ornatum potius, et non parvum decus Italiae, quis novit an sub obtentu convicii verum, quod omnibus clarum sit, occulte licet, curaveris designare, vel potius omnipotens ipse Deus, qui vera, germanaque veritas est, inter verba, intentionemque mendacii, quae tua sunt, hanc intenderit veritatem; ut cum tu mendax, atque maledicus Florentini nominis infamiam vel potius iniuriam, cum infamare nequeas, senseris, Deus per faecem reliquias, per venenumque decus, et ornamentum Italiae dederit agnoscendum? Et ut ad tuas ineptias redeamus, quae naturae perversitas est, Italos posse bene sperare de Gallis? Ego vero de cunctis cunctos bene sperare posse, nedum de Gallis, Italos credo, contraque naturam esse non posse sperare. Siquidem

sperare sit voluntatis actus, quae semper ad utramque partem contradictionis se habeat libere, dic, obsecro, quando, stante voluntate, verum erit quem non posse sperare? nimia foret naturae perversio, si nobis sperandi potentia tolleretur. Sperare quidem, non sperare, vel etiam desperare voluntatis est, cui rerum huiusmodi facultatem adimere, nihil aliud esset quam tollere nobis arbitrii libertatem, et ipsam extinguere vim, et potentiam voluntatis, quae, sine libertate, foret necessitas, non voluntas, ut cum involutum cerebrum, et intellectum maliloquiis habeas, sic ea, quae scribis, intexas, quod ex ipsis non alius solum, sed oppositus elici possit sensus; sic naturae perversitatem admiraris, quod si non adsit quod perversum putas, naturalia tolli necesse sit, nec intellectus hebetudine potentiam ab actu noveris segregare. Toties autem in hoc erras, ut mihi visum sit dignissimum fuisse tot, et tantis ineptiis, quibus ignorantia videatur tua, minime respondere, nisi primus verborum tuorum intuitus ornatu quodam, et strepitu, licet inani, verborum mereri

nescio quid auctoritatis, et gratiae videretur. Et quoniam huic particulae satis, immo plus aequo, sumus immorati, iam hinc ad alia procedamus; si tamen unum, quod dicis, ne fugere, vel fateri videar, absolvamus. Arguis enim quod salutis Italiae iamdiu nos cognoveris inimicos. O virum perspicacis intellectus, et admirabilis cognitionis, si tamen probabile sit eum, qui nesciat ea quae sunt, sic explorata ratione tenere quae non sint, quod super alios cognoscere videatur. Vnde cognoscis, obsecro, nos salutis Italiae, sicut asseris, inimicos? An quoniam tyrannidi domini tui totam Italiam ambienti restitimus, quoniam cupienti libertatem extinguere nos constantius, atque potentius, quam cogitaret, obiecimus, salutis Italiae nos cognoscis, cum alii dicant athletas, et pugiles, ab omnibus dissentiens, inimicos? Hanc autem ignorantiam tibi soli, credo quidem te nullos in hoc habere socios, relinquamus, ut videre possimus qualiter in sequentibus debaccheris.

Sed per Deum immortalem, inquis,

cum pollens, et fortis exercitus agrum vestrum populetur; cum castra hostium in vestris finibus habeatis, cum iam denique pro tectis, et moenibus patriae dimicaturi, pene de muris armorum strepitum sentiatis, quid auditis de Gallia illa transalpina?

Interroga, quod propius est, quid faciamus. Resistimus, viriliterque resistimus, hostes propulsamus, sociorum vestrorum moenia quotidianis terremus aggressibus, duces pollentis illius, et fortis exercitus cum ipsorum copiis tentamus ad servitia nostra traducere, minuere vestras, et nostras augere copias; socio nostro domino Mantuano magnam, et validam exercitus nostri manum, et auxilia sociorum, quae iam ad nos pervenerant, quaeque fideliter veniebant, ne se desertum sentiat, destinamus. Iam videbis, finitis domini tui stipendiis, strenuum virum Paulum Vrsinum Romani generis, Guelfaeque dignitatis, et fidei memorem, castra vestra relinquere, et pro nobis Romanis, et Guelfis contra vestra signa pugnare. Iam videbis et alium gentium multarum du-

cem, Biordum de Michilottis, merito discedentem a vobis in foedera nostra transire. Iam videbis, et senties gentes vestras, et copias in nostrum territorium redeuntes, amissis discursoribus, rorariorumque acie dissipata, turpiter aufugisse. Iam audies universum illum vestrum exercitum obsidebundum oppidulum nostrum Rincinis circumdare, tandemque turpi discessione coepta liquisse sua. Videbis etiam incomparabilem ducem Carolum Malatestam nostris, et aliorum sociorum congregatis auxiliis, inclita Venetorum manu, fluvialem domini tui classem victoria plenissima dissipare. Nec non et terrestrem exercitum apud Governum castrum illud, tormentorum ictibus, dissipatis moenibus, expugnantem, duce viro illo, belli, atque pacis artibus illustri, Iacobo de Verme, quem celebrandae victoriae nostrae gratia nomino, licet clarius habere militiae iubar neges Italiam, viriliter fugavisse. Procul tunc artes, militarisque peritia, et illa pollentis exercitus fortitudo, dominique tui infinita potentia. Et ut verum non taceam, nisi

fuisset occultum foedus, quod quidam Bononiensium magnis corrupti pecuniis cum domino tuo percusserant, quo non permiserunt illi victores uti victoria, si quid potest de talibus affirmari, dies illa Beati Doctoris, et Praesulis Augustini potuit afferre maximam domino tuo cladem, multosque miseros de iugi sui servitudine liberare. Sed nondum dies advenerat positura tyrannidi tantae finem; erit tamen, erit, crede mihi, quando Deus vult, qui nihil in humanis rebus corporeum, cum ea omnia transeant, fecit aeternum. Dic tu, quid tanta fecerit domini tui potentia, et si reperit nos spem omnem nostram, ut arguis, in aliquo posuisse? Posuimus, fateor, magnam spem in Serenissimo Francorum Rege, quantique momenti fuisset, nisi, sicut Deo placuit, proh dolor! eius principis fuisset infirmitas, crede mihi, dominus tuus sensisset. Sed nimis verum est poeticum illud: *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis*. Non potuit, enim, ut debebat, ut decreverat, ut optabat, inclitus ille princeps ferre sociis opem, succurrere filiis, et amicis auxiliari. Si-

quidem non concessit id divinitas, quae gravis morbi regem aegritudine detineri permisit, nimis longo temporis spatio continuit et oratores nostros, ne tantum principem mox tentarent, ut extra periculum sanus fuit, offensionum nostrarum querimonia perturbare, ne recens sospitati redditum tam molestae rei laederent aporia. Quam rem postquam rex ex oratoribus nostris agnovit, tam graviter tulit, quod ipsos poenituit, nos autem pertaesum fuit rem ipsam in eius notitiam perduxisse; dubitantibus omnibus, tanta fuit benignitatis, et animi sui commotio, recidivationis periculum, scientibus hunc eventum tibi forte, certissime vero fore tuo domino nimis gratum. Non defuit tamen Dei bonitas, quae mentem regis, et constantiam gentis nobis ostenderet, et linguis obloquentium obviaret. Siquidem stetit Dei dono regia valetudo, quo factum est ut eius ordinatione validus exercitus pararetur, cum quo comes inclitus Arminiaci in fratris ultionem, tuique ducis exitium, praesidium nobis in honorem Gallici nominis, et in testimonium fidei regiae,

satisfactionemque foederum, in Cisalpinam Galliam se transferret, vexillis regalia ferens signa. Quae cum praeter conceptam ex regis infirmitate spem calliditas domini tui vidisset realiter praeparata, causa fuerunt utpraelio fractus apud Governum, maiora metuens per Venetorum colligatorum nostrorum manus inducias, moxque pacem, qualem habere potuit, consentiret; quique miserat in Tusciam quatuor, ut iactas, et ineptissime scribis, equitum legiones, vere tamen, rectiorique locutione maximum equitatum, Florentinam gloriam, et libertatem sub iugum suae tyrannidis redacturus, spe sua frustratus, in Tuscia bello fractus, turpiterque fugatus in Lombardia, superbe bellum intulit, et humiliter pacem fecit, credoque singulari Dei providentia factum esse quod hostibus, quos habebat potentia sua contemptui, non se superiorem bello, non etiam aequalem, quod nobis non mediocris gloria foret, sed inferiorem, ut Deo placuit, se videret. Haec scio bello secundo, quod nobis intulit, facta fuisse; haec scio te negare non posse. Quid au-

tem audiremus e Gallia, quidque per oratores nostros ibidem ageretur, et quid eis responderetur, et peterent ut sciri possit, te velim qui propinquior eras, quique cuncta refers, et non alium audiamus.

Dicis, ergo: *Afferuntur, credo, quotidie rumores, ac litterae, cuius, quaeso, sententiae? legati regem, regiamque sollicitant maiestatem, opem ex foedere debitam cadentibus pene rebus implorant, ne a summo rege, quem sibi unum defensorem, et dominum, spreto Caesare, neglectaque Romana Ecclesia, in tanto, tamque propinquo periculo deserantur, expostulant; in armis hostem esse, populariique iam fines eius, nisi succurratur, omnia brevi esse ruitura significant, esse eum regem in terris, qui saluti suae consulere possit; praeter eum, neminem. Obsecrant, obtestanturque per sacratissimi diadematis maiestatem, ne desertos, ac destitutos ludibrio dedat inimici, eius addunt inimici, qui eis maxime ob hoc infensus sit, quod se, et fortunas suas maiestati regiae summa cum devotione commiserint?*

Miris deinde modis animos Gallorum suapte natura leves, ac tumidos inflare student, miris suasionibus adhortari, si anniti parum velint, venisse tempus, et apertam esse occasionem, non solum Italiae capiendae, sed ad manum suam imperii transferendi, et ad nutum Ecclesiae redigendae; sese cum Ianua, cum maxima Italiae parte esse iam suos: nihil reliquum, oppresso duce Liguriae, quod terra, marique suae magnitudini possit obstare; ducem autem ipsum, quamquam magnum aliquid videatur, primo belli impetu esse casurum. Itaque quibus parum est spei, parumve consilii ad solum patriae defendendum, liberam possessionem Italiae, atque orbis terrae imperium pollicentur.

Mirari satis non possum, foedissima bellua, temeritatem, et stultitiam tuam, qui scias nos tunc habuisse legatos in Francia, qui non erant, qui tibi fingas legationis nostrae formam, quid orent legati nostri, quid enarrent, quid afferant, quidque polliceantur, et petant, et nedum fingas, sed pueriliter, et stultissime fingas.

Tune putas acumine mentis, experientia rerum, vel ingenii bonitate ad consiliorum nostrorum rationem attingere, vel quid dicere, facereque decernat Florentinorum potentia, divinare? Nescis, stultissime, nescis quam brevi temporis hora, quam parva rerum varietas, prudentum consilia, maximeque nostra, commutet, quibus proprium, immo proprie proprium est, vel minima momenta rerum, et temporum ponderare, quibus nunquam fixum, determinatumque consilium est, nisi cum agitur, nisique rebus ipsis instantibus ex tempore consulatur. Oratores autem nostri post duos menses, et ultra, cum in Franciam appulerunt, quam opem, quibus rebus cadentibus implorabant? Stabant Dei gratia res, steteruntque, licet strepitus illius tempestatis instaret, nec cessere loco sed obviam se fecere periculis, Deique gratia sine periculo periculum oppresserunt. Erras, demens, vesaneque vates, et, ut superius dixi, vemens, hoc est, sine mente vates, erras profecto, qui divinas nos per oratores quos diu post aggressum, firmatis rebus, tutique periculo in Fran-

ciam misimus, opem rebus cadentibus implorasse, expostulasseque tanto, tamque propinquo periculo non deseri, ceteraque, quibus, veluti consiliorum nostrorum conscius, stultissime spatiaris. Erras siquidem, nec nosti Florentinorum magnanimitatem, cuius virtutis non est suppliciter petere quod debetur, nec illa fingere, quibus sua dignitas minuatur. Non requirebamus, igitur, opem ut petituri, sed ut quibus ex foedere debebatur, dicentes oculos totius Italiae, sociosque suos, atque nostros ad haec notanter esse conversos. Hinc omnes coniecturam assumpturos quidnam possit ex regia colligatione sperari, quantum in Gallis possit esse praesidii, famam, et gloriam Regis, et gentis in optima mundi parte ex hac subventione, fideique observatione pendere. Antiquissimos filios, devotissimos servitores, novosque colligatos, et socios offensos esse, improperantibus gentibus suis, atque dicentibus: *Videamus, si forte Rex veniat, atque Galli, et liberent eos*, maiestatemque suam in sociis suis offensam esse, reputationemque Gallorum vilipendio ha-

bitam. Nos pro nostris iniuriis Dei gratia dignam assumpturos ultionem, sed ad altitudinem iniuriae regalis culminis ulciscendam, nos, et nostros socios non sufficere, nisi funditus extirpetur serpens ille Ligusticus, manuque regia, potentiaque Gallici nominis extirpetur, nunquam expiatum erit scelus illud iniuriae, quo tam contumeliose non est veritus in sociis regiae maiestatis regem, et nationem Gallicam violare. His, et his similibus, quae decus Italicum, Romanum genus, et Florentinorum decebant gloriam, et quod prius honoris gratia dici debuit, mentem animosi principis, gentisque martiae poterant commovere, debita repetebamus auxilia non ploratu, vel imploratu, sicut fingis, sed vera, sed mascula ratione. Procul a nobis, et dignitate nostra quiritatus illi serviles, atque plebeii, vel illae lacrimae, tristesque querelae, quae quidem te forte decent, et tibi similes, et quas de nobis incongrua ratione commentus es. Cur autem inter alia, quae nobis imponis, dixisti, quodque stultitius est nos dixisse, confingis nos sprevisse

Caesarem, et Romanam Ecclesiam neglexisse? Nos ne regiae gravitati diceremus, ob ipsum, et eius foedera naturalem dominum nostrum Caesarem contempsisse, qui sibi sit sanguine proximus, liga iunctus, cunctisque respectibus benivolus, et amicus? Nos ne Christianissimo Principi, devotissimoque Sanctae Matris Ecclesiae diceremus, nos Romanam Ecclesiam neglexisse? An adhaerere maiestati suae est ambo, vel alterum praedictorum? Nunquid dominus tuus, cum longi temporis instantia, miraque largitate curavit regi praefato foedere iunctus esse, vel sprevit Caesarem, vel neglexit Ecclesiae dignitatem? Si non ipse, cur de nobis aestimas, atque fingis? Vnum scio, quod dominus tuus neglexit, nos specialiter curavisse, dominum quidem nostrum summum Pontificem, et Romanam Ecclesiam expresse fecimus excipi, quod benignitas regia, schismate non obstante, iussit, sicut petivimus, adnotari. Et tu, inconsideratissima bellua, nos mentiris Romanam Ecclesiam neglexisse, fingis oratores nostros dicere; *hostem in armis esse, populari-*

que fines eius? Qua grammaticae ratione potest antecedenti, vel substantivo pluralis numeri, relativum, aut adiectivum construi singulare? Cui coniungitur, obsecro, pronomen illud *eius*, quod est numeri singularis? Nunquid oratoribus, qui loquuntur, an finibus, de quibus est sermo? Recognosce, puer, recognosce tuos errores, in quos incidisse cum turpe sit grammatico, turpius est logico, sed turpissimum oratori. Nec fugias, ut intelligendum sit per illud relativum *eius* personam regis. Sciebat, enim, rex sociorum fines, quos popularetur hostis, suos non esse, populationesque illas immediate non esse regni, vel regis damnum, iniuriam, vel offensionem, sed sociorum, quas ulcisci, prohibereque deberet, ad quod, ut dictum est, validum exercitum destinabat. Incommodum esse non dedecus sociorum in illis offensionibus rex videbat, cum turpe non sit pari, vel maiori potentia bello premi, turpissimum autem, et inexpiabile dedecus esse vastari, vel invadi praesumptione, vel temeritate minoris, quod tu nos fingis non solum nos excellentiae regis

imponere, sed ex tua persona conaris in regiam iniuriam persuadere. Non est modestiae, circumspectionisque Florentinae, quod sibi turpe non fuerit, falso, praesertim in alterius contumeliam, dedecusque transferre, nec quod omnino non sit improperare celsitudini tanti regis, et eius mentem mendaciis perturbare. Vide, circumspiceque, stultissima bellua, qualiter ignorantiae culpam, atque notam effugias. Hinc si verum dixeris, grammaticam offendis; inde vero si falsum senseris, oratoriam diligentiam, artisque rhetoricae instituta perturbas, nobis attribuens quod non decet, vel splendori regiae maiestatis imponens quod eidem cedat ad dedecus, et ruborem; quodque nimis debeat iracundiam tanti regis contra tuum dominum provocare. Nam licet nos id fingas dicere, tu tamen es, qui dicis, proque domino tuo dicis, et sicut alia multa, contra dictam maiestatem, et in eius contumeliam ista dicis, ut dignissimum sit serenitatem eius, et universos regni proceres contra dominum tuum, cuius beneplacita non transires, sine dubio commoveri. Verum ad

mendacia rediens tua comminisceris, atque fingis quod miris modis animos Gallorum, ut inquis, suapte natura leves, et tumidos, oratores nostri conentur inflare. Nondum satur maledictis es, et hactenus Gallos leves dixisti, nunc leves, et tumidos criminaris. Quis tantae procacitati tuae digna vicissitudine valeat respondere? Nimis erat hoc eis vel semel obiecisse, licet iudicio meo falsum sit. Equidem eos video, sicubi gravitas requiratur, talem praestare constantiam, quod adiici nihil possit. Si sint conversatione laeti, convivatione iucundi, collationibus placidi, cum pietate in Deum, tum fidelitate in regem, fide in reliquis, non constantes solum, sed constantissimi sint, cur ipsos levitatis accusas? Hoc unum scio, quod si semel in dominum insurgent tuum, tibi videbuntur, et eidem maxima nimis firmitate constantes. Propinqua sunt virtutibus vitia, facilique depravatione potest medium ad extrema reduci. Rigidus, et crudelis, iustitiae custos dicitur, misericors vero remissus; frugalitas avaritia vocatur, et licet liberalitas sit medium,

prodigalitatis facile trahitur ad extremum. Sic tu frontis hilaritatem, laetitiam cordis, et iucunditatem mentis, levitatem vocas; quae deberes appellare virtutem. Tumidos autem, elatos, atque superbos dicis, quod animi sint alti, quod indignantis, quamvis non sine ratione, naturae. Potes in haec facillima declamatione transire. Sed illa naturae bonitas innata Gallis, benignitas, humanitasque, cogünt omnes illa, quae vitiosa videntur in eis, veras virtutes non vitia reputare. Quod autem mendacissime fingis, nos ipsos adhortari, venisse tempus, et apertam occasionem non solum Italiae capiundae, sed ad manus suas imperii transferendi, forte verisimile tibi videri potest, qui secundum stultitiae tuae nutum, quid dicamus, quidque gens illa respondeat, quasi mandatorum nostrorum testis, et eorum, quae gerantur in Francia, conscius, vanissima relatione designas, quae num vera sint, nolo quod alius quam tu ipse respondeas. Dicis, enim, sicuti mirus orator, qui diligenter narrata mox destruat, et causam dedat suam. Itaque quibus parum est spei, parumve consilii ad solum

patriae defendendum, liberam possessionem Italiae, atque orbis terrae imperium pollicentur; ut stante verborum tuorum hac verissima, quod et ego fateor, ironia, nec vera sint, nec verisimilia, quae praemittis. Concedere solemus, et possumus quae sunt in nostra potestate, licet aliquando defendere nequeamus, ut potentioris interpositione personae saltem in hostis deveniant ditionem. Quis autem nisi stultus cum de suarum rerum defensione laboret, maiora, quae sua non sint, nec ab eius pendeant potestate, solet offerre? Talis autem, et tam vanus oblator apud quos, nisi stultissimos, inveniret auditum? Sed veniamus ad reliqua.

Non sum dubius, inquis; *ad haec omnia benigna, et grata responsa suscipiunt: Regi salutem amicorum esse cordi, et foedera nuper icta memoriae, bono se illos animo esse iubere, nequaquam eorum necessitati maiestatem regiam defuturam. Et fortasse cum armatis legionibus egeatis, prius pro vestra salute intercedendum putant, quod etiam si impetretis, est maximum. In-*

terim stabunt illi suis occupati deliciis, fruentur opima in pace opibus suis, dum vos miseri in tanto incendio conflagratis. Sed, age, tueri velint, non solum nuda auctoritate, sed armis, ut omittam qualis animus Caesaris, totiusque Germaniae futurus, si quis ad Italiam Gallorum motus fiat, cum sibi pro dignitate Imperii, cuius in Italia caput est, viderit subeundum esse certamen, ut, inquam, omittam hoc, quod vero propius est, omnem Gallorum impetum non solum posse tardare, sed tollere, atque cohibere. Veniant certe Galli, et affletur vobis ab occidente aura illa salutaris, per quam in summa malorum anxietate respirare possitis; venient tamen eo tempore, ut non ad defendendam vestram salutem, sed ad deplorandum casum, et exequias celebrandas venisse videantur.

Bona verba, satisque, ni fallor, apposita praemisisti. Cum autem Gallos, ego, alti animi, tu vero, tumidos esse velis, quomodo congruit quod pro sociis, quos iuvare debeant, et in quorum offensionibus

offensi sint, intercedere se disponant, quod honorare dignentur hostem, ut legatione regia dominum tuum moneant, rogent, vel requirant, ut ab armis discedat, et regis socios ulterius non offendat? Tam ne vanus es tu, et alii, ne dominum vestrum dicam, adeoque vobis nescio quid de principatu totius Italiae persuasistis, ut dignissimum reputetis, etiam debere principum principes vestrum hunc ducem verbis, et factis, velut summum aliquid honorare? Sed absit ut qui tyrannice subditos opprimit, quique vi, pecunia, dolisque super omnes tyrannidem extendere semper quaerit, a legitimis, verisque principibus cultu talis honorificentiae celebretur. Quid autem de Caesare, vel Germania somnias, quibus in Italia nihil inimicitius quam tuus dominus esse debet, qui iustum sacrosancti Imperii dominatum sub Caesarei vicariatus obtentu crudelem in tyrannidem commutavit? Debitum Caesaris est, et obtinentium Imperii principatum, succurrere populis, opprimere violentos, tyrannidem extinguere, et ne nomen adulteretur Imperii, provi-

dere. Sed his, et aliis, quae proxime retuli, respondeat tibi stultitia tua, respondeat eventus rerum, respondeat constantissima tot laborum tolerantia nostra, et illa Florentinorum bello, paceque felicitas, quam Deus dignatus est nobis offensis per iniuriam indulgere. Subdis autem, ut nos a debiti subsidii spe deterreas, vanitate solita, multa, quibus tibi persuadere videris, Regem illum, tam divinae, quam humanae fidei specimen, percussorum nobiscum foederum oblitum iri; dicis etenim:

Quae tamen est ista dementia tanta, tam abhorrens ab omni sensu, rationeque perversitas, ut cogitare possitis amplissimum regem officiorum plurimorum, sanctissimae societatis, atque affinitatis immemorem, ita Florentinas opes tuendas, ampliandasque suo periculo suscepisse, ut ceterarum rerum omnium negligens, vestrae tantum salutis, et gloriae studiosissimus videatur?

Et ne per cuncta trahar, neque singula, sed rerum summam referam, tu dignitatem domino tuo concessam, tu affinitatem regiam, tu societatem, et amici-

tiam, tu regalia signa commemoras, quae, quantum coget respondendi necessitas, verbis referam tuis. Nunc autem, ut ad verborum tuorum principium redeam, nonne maxima teneris stultitia, qui audeas affirmare nos esse tam fatuos, quod cogitare possimus amplissimum regem, ceterarum rerum omnium negligentem, fore nostrae salutis, et gloriae tantummodo studiosum? Quibus hanc dementiam, obsecro, vel, ut usitatius loquar, amentiam obiicis? Nonne Florentinis, quorum circumspectio nota est, qui rerum agibilium, sicut sunt, expertissimi reputantur, quique administratione maximae reipublicae, cui praesunt, abunde docti sunt, nullum populum, nullumque dominum, aut principem esse, quem simul non oporteat rebus plurimis providere? Discunt bello, discunt pace Florentini quotidie sibi sociis, sibi subditis, sibique propriis civibus, multotiesque extraneis eodem tempore consulendum. Ergo quod diuturnis experientiis in se vident, nec possunt continuo non sentire, possunt in aliis ignorare? Cum quot diebus te necesse

sit comedere quo vivas, credes alios posse subsistere si non edant? Quo videre potes quam stulta sit cogitatio tua. Nonquamne putavimus Regem infinitis gentibus imperantem, cuiusque sit pro magnitudine rerum suarum scire, meditarique quidquid in orbis ambitu praeparetur, una solum posse cogitatione, cura, providentiaque teneri? Semper tamen cogitavimus, etiam si sibi maiora forsan incumberent, ipsum, summae constantiae regem, nunquam nos, si molesti quicquam urgeret, filios devotos, fidelesque socios deserturum. Nec nos fefellit opinio. Quam primum, enim, per valetudinem potuit, ducem, et exercitum venturum in Italiam praeparavit, ut illum dominum, qui ligam, et societatem regiam non ignorans, socios tanti principis fuit ausus offendere, castigaret. Non reputavit amicum, non socium, non affinem, non etiam consanguineum illum, qui nulla iusta causa, immo qui solum praetendit in causa foedus regium, vel, ut tu nominas, Gallicanum, socios suos invasit, acrique bello sibi statuit persequendos. Cumque quem felicis

memoriae regis avus, affinitate dignatus, externum licet, ornarit in comitem, cuique rex ipse sacratissima lilia sua concesserit ex media saltem parte monstro virulentae viperae subiicienda, quam rem maximi facerent non dedisse, faciunt et male dimittere, peius non repetere, pessime non auferre, cum, inquam, videant ex hac offensione nostra, contra dominum nostrum regem, cum tot cumulatis beneficiis, tot honoribus, totque gratiis, non immemorem solummodo, sed ingratum, dignum non putarunt, cui parcendum foret, tamque manifestae scelus iniuriae remittendum. Velim autem tecum, si placet, intelligere, cum neges regem suo periculo suscepisse Florentinas opes tuendas, ampliandasque, quod periculum tanto regi posset ex his, quae numeras, provenire? Nunquid forsitan, sicut quondam Romani, Caesare duce, nunc dominus tuus transibit Alpes, et montes penetrans Gebennenses contra regem in Galliis bellum geret, vel quod aliud sentis regi periculum imminere? Quid per opes Florentinas intelligis, divitias, an potentiam? Divitiae

vero nostrae, licet rex, et omnis Gallia ferant nobis in hostes opem, quid recipient incrementi? Quid externae defensionis nobis opus est, ut eas a tui domini violentia tueamur? Ad potentiae vero nostrae, vel divitiarum ampliationem, tuitionemque, decet ne nos tantum principem forte requirere, quem, et eius auxilia debeamus sequi, non praecedere, cuique deceat nos servire? Non ad defensionem nostram, sed ad opprimendum hostem, quo sospite securi fore non possumus, et ad ulciscendas suas iniurias, observationem foederum petebamus, quo sibi nos possemus, non haberet ipse nobis, non enim id decuit, militare. Sed oportet in hoc detegere quod sentimus, quo videas tu, et alii sciant, sciat et ipse dux tuus, sciant et omnes, nos ad defensionem nostram, cui per Dei gratiam in nobis fuit, sicut experientia notum fecit, abunde praesidii, nunquam regem voluisse requirere, sed solum ad delendum hostem suam potentiam excitare. Sciebamus inclitum illum regem non coniecturis solum, quae multae sunt, sed certissima ratione

tenere, se ducis tui machinationibus, magica nescio qualiter arte confusum, in id morbi, quo laborabat, arreptum esse. Qua quidem re gaudebamus causae tam urgenti, tamque gravi, legitimam, et apertam, offensione nostra, immo regia, causam accessisse. Sed nondum dies venerat sua, nonque regi, longeque minus et nobis concessum erat illud opprimere posse monstrum, quod, sicut eventus probat, certi sumus ab aeterno fuisse divino numini reservatum. Sed haec omittamus; adeo quidem in praeteritum transierunt, quod vanum sit ea, nisi solum ad reprehensionem mendacii, recensere. Volo tamen advertas regium periculum te non inaniter solum, sed stultissime nominasse, et amplitudinem, tutelamque nostrarum opum ineptissime posuisse, quas tuendas, et ampliandas tam indecens esset, et ineptum, gloriosum illum Regem suscipere, quam stultissimum, nos, vel alios postulare.

Potuit fortasse, dicis, vestra calliditas, et illa immoderata fingendi, mentiendique licentia, qua in rebus omni-

bus privatis, et publicis, praeter ceteras gentes, utimini, in mente regia aliquid suspicionis affigere, quo ipsum abalienatum aliquantulum a duce Ligustico redderetis.

Quid est immoderata fingendi, mentiendique licentia? dic a quo, vel quibus hoc Florentinis concessum est? Datur ne nobis, ut inquis, praeter ceteras gentes, fingendi, mentiendique licentia, qua rebus omnibus privatis, et publicis uteremur? Si dari potuit, quid reprehendis? Nunquid nefas est nos uti, vel aliquem alium iure suo? Si vero data non est, aut dari non potuit, quid licentiam vocas, quae de concedentis auctoritate dependeat? Videsne quam inepte, immo quam absurde vocabulum istud *licentia* ponas? Vides ne te prorsus non intelligere quid, vel quomodo dicas? Verum nec fingendo, nec mentiendo, non etiam, quod proprie nostrum est, verissima recensendo, quae multa dicere poteramus, a duce tuo regem benignissimum alienavimus. Scio, nec me potes in hoc decipere, quid, et qualiter regem illum in indignationem adduxerit.

Cupiens, enim, dux tuus, perpetua ambitione succensus, et Gebellina factione permotus, civitatem Ianuensium occupare, sicut stultae sunt cogitationes hominum, invidia nostra cogitavit hoc posse perficere, misitque suos oratores in Franciam, qui regiae puritati persuaderent nos solos obsistere, etiam ligae nostrae societate, quam nunquam tamen contraximus, ne civitate Ianuae, quae se iam regi obtulerat, potiretur, tractans, et intendens artibus solitis, atque pecuniis illam a rege, vicariatu, vel censu, vel alio modo quolibet obtinere. Sensimus hoc, et mirati sumus hominis impudentiam, et per oratorem nostrum obiecta, quorum copiam habueramus, curavimus expurgare. Quo plane factum est, ut ipse rex manu tangeret, oculoque videret, quidquid ibidem habebat obstaculi, de domini tui machinationibus derivari; nosque non obsistere regi, sed tyranno, quem sentiebamus satagere modis omnibus, ut urbem illam per fas, et nefas sub suae tyrannidis redigeret dominatum. Haec prima labes, indignationisque principium, quibus accessit,

nescio quis rescitus, quo maleficii, et aegritudinis regiae culpabilis factus est, accessit dixi, nescio quidem si praecessit. Hoc unum scio, Deum testor, aeternamque salutem, technam hanc, si techna fuit, vel veritatem, si verum, aut repertum fuerit, a nobis nullo modo fidem, illud enim asserere nequibamus, vel principium habuisse. Gavisi sumus, fateor, hanc opinionem esse conceptam, et cum rem ipsam esse cordialiter doleremus, et culpam domini tui vehementissime miraremur, optabamus tamen opinionem tanti sceleris tenaciter regis, procerum, et etiam populorum mentibus inhaerere, et eos pro veritate facinoris in ultionem debitam inflammari. Nec nunc volo discutere nunquid infandis artis magicae fraudibus, sive carminibus, *Arreptas detur alicui solvere mentes, Quas velit, atque aliis duras immittere curas, Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro*, ut ille ait; nolo nunc, inquam, hoc discutere; nimia quidem cernimus quotidianis experientiis, multa etiam legimus, quibus hoc posse fieri facillime persuaderem. Nec id etiam volo disserere,

quidnam esset, quo culpa tui domini videretur, postquam naturae solvens debitum, de medio sublatus est, ne forsan in filios paterna scelera puniantur; licet, si veritas audita fuisset, et adhuc forent qui vellent audire, clara posset fide perpendi, quod rebus indiscussis in dubitationem potuit a quolibet revocari. Verum, ut ad verba redeam tua, Florentini ne praeter ceteras gentes immoderate mentiuntur, et fingunt? ipsine soli? unde ergo verum est propheticum illud: *Dixi in excessu meo, omnis homo mendax?* Quid autem significat apud te praepositio illa, *praeter?* Nonne ponitur exceptive? Sed dices, exclusivam illam dictionem apposui propter id, quod dixeram *immoderate;* quasi dicas, mentiuntur, et fingunt omnes, sed immoderatius vos. Sed unde, precor, hoc exploratum habes? Nunquid testis es omnium gentium, et nationum? Nunquid cum hostem te profitearis, tibi credi putas, fidemque deberi? Non es gentium omnium si mentiantur, vel non, vel an fingere soleant, informatus. Cunctas, enim, gentes non nosti, nec

cum omnibus conversatus es, nec quam effraene cuncti mentiantur, et fingant. Nullum, igitur, huius rei tuum testimonium esse potest; verum facillimum hostibus, tutumque mendacium cunctis est, quod non possit, vel difficillime valeat reprobari. Sed quid in hoc diutius moror? Scio tibi durius fore quod obiicis posse probare, quam mihi, si veniatur in periculum, reprobare. Vnum tamen scio, quidquid delatreris, nullum in orbe terrarum dominum, nullumque populum, quem nobis possis de fidei integritate praeferre; cuius quidem rei sunt plurima documenta, quorum unum evidens, et invincibile signum est, reiteratio foederum, quae qui nobiscum contraxit ad tempus, libentissime refirmavit. Sed cur amplius insto? Clarum est, et privatim, et publice Florentinos cum omnibus mundi gentibus conversari, mercari, contrahereque, quod profecto non esset, si tam immoderate fingerent, et mentirentur. Coutuntur Florentinis, qui nec fallere cupiunt, nec falli, coutuntur siquidem, et eis summa complacentia delectantur, circumspicien-

tes subtilitatem in lucro, cautionem in pacto, sinceritatem in observando. Sed iam haec satis. Quod autem dominum referens tuum, inquis a duce Ligustico, reminisci me fecit eius, quod inconsiderate praemiseras. Appellasti quidem eum supra ducem Liguriae, nunc vero Ligusticum. Illud autem cum falsissimum sit, hoc non prohibet esse verissimum. Equidem credo non incongrue dici posse de quocumque, parvo licet, principe quod mundanus sit princeps, mundi vero principem nullum esse, nisi toti mundo principetur. Vnde vocas, igitur, dominum tuum Liguriae ducem, qui nescio quo titulo dux sit solummodo Mediolani? Absit per Dei clementiam nomen istud, nec unquam possit ipse, vel alius, qui tyrannus fuerit, dux Liguriae nominari. Tibi vero reprehensibile nimis est, licet magnam Liguriae partem tyrannide premat sua, cum institutus fuerit in ducem licet magnae, licet nobilis civitatis illius provinciae, ducem propterea Liguriae nominare. Nam, ut cetera sileam, cum Liguria proxima sit Tusciae finibus, solumque Macra fluvio dirimatur, exten-

daturque per Tyrrheni maris littora Varum usque, qui sit Narbonensis provinciae limes per Antinopolis, et Niciensis urbis agros fluens, quae regio Genuam, Saonam, Albinganam, Vintimilium, Naulensem civitatem, et Niciam, multosque populos, et oppida, quae per Dei gratiam domini tui nondum occupavit, nec occupabit ambitio, quomodo vocas eum Liguriae ducem, cui tantum deficiat, ut illi provinciae dominetur? Dimitto plura, quae maliloquio tuo repetens, eadem insulse prosequeris, quibus iam antea fuit responsum. Et, ut ad ultimum huius tuae particulae veniamus, de circumspectione quidem regia loquens, ais: *Aliquando recognoscet vestras insidias, et intelliget vos pro vestra libidine tam multa de duce optimo, et principe clarissimo fuisse mentitos. Quare non modo suis copiis vos non defendendos esse non existimabit, sed omni dignos supplicio iudicabit, tantumque aberit, ut vobis corruentibus manum det, ut etiam optet assurgentes opprimere.*

O ducem optimum, qui tyrannus sit,

tyrannice semper vixerit, tyrannica crudelitate saeviat, et debacchetur in subditos, occupareque vicinos plusquam tyrannice moliatur! O clarissimum principem, qui vere sit princeps omnium tyrannorum! Vere quidem etiam princeps in subditos, qui scilicet primus ante alios, et omnium prima capiat. Testantur hoc agri, domus, vestes, equi, ceteraque non pretio, sed iniuria capta; testantur famulae, testantur et concubinae, in quibus obviaverunt iniuriis contumeliae, vis, et iniustitia deosculatae sunt se. Quae cum sentias, et verissima quadam tuae orationis particula conquestus sis, non pudet tamen, quod honestissime taceri potuit, immo debuit dicere, ducem optimum, principemque clarissimum, qui sit saevissimus tyrannorum, quod quam vere dicas omnium iudicium sit. Cum autem rex inclitus ille cognoverit insidias domini tui super negotio Ianuensi, intellexeritque pro libidine sua contra sinceritatem, et innocentiam nostram eum tam multa fuisse mentitum, memor foederum, et offensionum nostrarum, quae suae sunt, dignis-

simos existimabit non defensione, qua non egemus, sed ultione, quam de domino sumat tuo. Dic, tamen, artifex egregie florentis eloquii, quid intelligere voluisti cum scriberes: *Quare non modo suis copiis vos non defendendos esse non existimabit, sed omni dignos supplicio iudicabit? Quid est non existimabit non defendendos esse*, nisi, quod dicere non vis, defendendos ducet? Quod cum ita sit, pudeat, pudeat cum nugis istis in publicum prodiisse, quibus fias ponderantibus dicta tua ridiculo, postquam in ipsis vides tam multa contra vim, rationemque dicendi, te supina nimis ignorantia posuisse. Sed iam in reliqua transeamus. Inquis ergo:

Quod si in regia illa transalpina vestra fraus plusquam amplissimi, ducis integritas, fidesque valuerit poteruntque vestra praestigia omnium officiorum, et necessitudinum memoriam obscurare, mihi credite, nobis est animus sic Gallis obsistere, ut intelligant, quod maiores sui saepissime experti sunt, perfacile Gallis Italiam petere, victores redire difficile; unde proverbium illud

a nostris hominibus usurpatum scimus, Italiam sepulcrum esse Gallorum etc. Longo quidem tractu discurrens si Galli descenderint in Italiam, incliti Regis Ludovici quondam ducis Andegavensis exemplo, nec non et Ioannis Armeniaci Comitis, quorum flendos, potiusquam gloriandos Italiae recenses interitus, tibi, dominoque tuo spem victoriae polliceris; quae quidem verba nolo repetere; satis enim est ea semel ultimo loco tui maliloquii notavisse. Respondebo, tamen, summae rerum, quaeque carpenda singulariter videbuntur, postquam id fecerim, explicabo.

Spem capis, igitur, obtinendae victoriae contra Gallos propter duo, quae nostri temporis recenses, exempla, quasi sis oblitus quam instabilis, quamque mutabilis sit fortuna, illis praesertim, quibus videtur arrisisse. Nonne meministi Virgilianum illud:

Multa dies, variusque labor mutabilis aevi,
Retulit in melius, multosque alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit?

Sed ipsam Dei dispositionem, quam quia praeter intentum nostrum agat, et occulta

sit, fortunam ducimus, potes ne de praeteriti ratione praesumere, quid actura sit, quae sic agat, ut ab aeterno sancitum est, providerique non possit antequam agat, nec postquam egerit, praevideri? Et si nobis est animus sic Gallis obsistere, quod quae minaris eveniant, cum in manibus Dei sint, noli gloriari tamquam ventura sint, sed opta potius, metueque quod possit contrarium evenire. Nec exempla sumas ex his, quae placent, sed ex his, quae multoties acciderunt; cogitaque quod in Libris veritatis scriptum fuerit, undecim tribus Israel contra Beniamin consulto Domino pugnavisse, bisque notabili clade victos, tertio congressu fuisse victores, et tribum illam adeo delevisse, quod fleverit Rachel filios suos, nec voluerit consolari, quia non essent. Vide quoties vicerint Machabaei, aliquando tamen victi sunt. Vicit Pyrrhus gemino congressu Romanos, contusus tertio, quarto profligatus est. Hannibal etiam Poenus collatis signis quinquies victor, Marcello duce ferme victus, vincendus Africano maiori tandem reservatus est. Nullis in rebus minus quam

in bellis exempla praeterita, spes, vel cogitationes humanae respondent. Sed; per immortalis Dei maiestatem, unde tibi tantus de Gallica natione contemptus? Nonne, si priscas consideremus historias, Romanos iam tunc florentes apud Alliam flumen Galli Senones acie fusos turpiter fugaverunt, et urbe tota praeter solum Capitolium sunt potiti? Nonne, licet postea, Duce Camillo, pulsi, caesi, fusique sint, tandemque etiam in Etruria, Dolobella Romano quidem duce, deleti fuerint, tamen aliquando Romanos vicerant, urbem afflixerant, et, ut aliqui volunt, Capitolinae redemptionis aurum exportarunt? Sed ut Senones omittamus, nonne Gallorum gens Ticinum, sive Papiam, Mediolanum, Brixiam, Veronamque civitates aedificaverunt, et a Rubicone, supra qua discurrit, et flectitur Apenninus, quidquid intra montes, et circa Padum est, ad extremum usque Venetiae angulum multis seculis imperio, Galliaeque nomine tenuerunt? Nolo comparare Gallos invicem, et Latinos. Vtraque quidem gens laudibus pollet suis. Nunc hi, nunc illi legun-

tur fuisse victores. Nam et utriusque gentis ingentem fuisse potentiam testis est Plinius, qui tertio ex naturalis historiae libris refert, nunciato Gallico tumultu, solam Italiam etiam sine Transpadanis, idest Foroliviensibus, ut externis auxiliis, armavisse equitum octingenta millia, peditum septingenta millia, qua incredibilis apparatus magnitudine licet Gallorum etiam potentiam aestimare. Et cum terrarum orbis in Romanorum monarchiam cessit, auctore imperialis principatus Caesare, post omnem Italiam, Africam, Hispaniam, Graeciamque, Iudaeam, et alias plurimas Orientis gentes, in Romanam venerunt Transalpinae Galliae ditionem. Non dicas, igitur, ita vos paratos Gallis resistere, quod intelligant, ut sui maiores, perfacile Gallis Italiam petere, victores redire difficile. Venerunt aliquando, viceruntque; et Italiae partem non re solum, sed etiam nomine suam fecerunt. Galli vero sic a Romanis victi sunt, quod licet non amiserint Galliae nomen, nihil tamen Galliarum remanserit, quod victum, profligatumque non fuerit, sub imperiumque non

venerit Romanorum. Nulla vero gens unquam fuit, quae totam tenuerit Italiam. Verum quid rationis est, genti victoriam, quae solummodo Dei munus est, ad gloriam imputare? Si Romani vicerunt Italiam, cum qua quingentis annis continuis pugnaverunt; si postea ducentis annis Romani cum Italis universum orbem subegerunt, plane Dei donum dici debet, nec expers talis gloriae fuit, et cum comatae Galliae victae sunt, Gallia nostra togata, sed simul cum Romanis, reliquaque Italia Romanum Imperium armis, infinitisque victoriis pepererunt. Nulla tamen natio totius orbis imperium praeter Italiam Dei dono meruit obtinere, et meruit, credo equidem, quoniam Deus dedit; donum enim non fuisset, si pro meritis, non dantis gratia datum esset, sed iustitiae debitum, quod Deum reddere non potuit obligatum. Si qua tamen ea gloria est, Romanorum, et Italiae est. Primum quidem Assyriorum imperium, quod et Babylonicum dictum est, a Nino Beli filio sumpsit auspicium, totamque tenuit Asiam, quae medium terrarum orbem creditur

obtinere, donec ad effoeminatum traducitur Sardanapalum, a quo per Arbacen transfertur in Medos, quod, sicut Deo placuit, ad Graecos, Alexandri Magni virtute, fortunaque, pervenit. Tandem vero multo sanguine, multisque victoriis transiit ad Romanos, et Italos, sub eisque tres mundi partes in unius monarchiae titulo convenerunt, quod alias nunquam legitur accidisse. Sed ad Gallias, quas adeo reprimis, redeamus. Et unde tibi, quod Gallis ad Italiam venire sit facile dicas, difficile vero redire victores? Et de Gallis quidem, qui tot urbes vestras condiderunt, satis dictum sit. Venerunt, enim, in Italiam, et vicerunt, pulsisque exinde Tuscis, quos legimus ea tempestate, qua se tractus maris inferi, quod et Tuscum dicitur, àc superi, quod et Adriaticum nuncupatur, ab Adria Tuscorum colonía, protenditur, imperium obtinebant. Nec vicerunt solum, sed totam illam patriam tenuerunt. Senones autem, a quibus Romanos victos, et urbem captam diximus, vicerunt, et victi sunt, et ad internecionem taliter, Dolobella duce, deleti, quod nullus ex ea gente remanse-

rit, ut scribit Seneca, qui incensam a se Romanam urbem gloriaretur. Et ut Robertum Guiscardum, quem Normandum fuisse fama est, qui tam multa gessit in Apulia, atque Samnio, transeam, nonne venit in Italiam Rex Pipinus, domitoque Aistulpho Longobardorum rege, quidquid iuris Sanctae Matris Ecclesiae per violentiam occupaverat, reddere compulit, victorque suam remeavit in Franciam? Nonne filius eius, inclitae famae, felicisque memoriae, Carolus Magnus, lacrimis, et conquestu requisitus Ecclesiae, contra Desiderium, filium, et successorem Aistulphi, de Galliis venit, obsessaque Papia perfidum regem cepit, captivum misit in Galliam, et omni regno Longobardorum in suam ditionem rèdacto, statum, et honorem suum Ecclesiae reddidit, Romamque veniens, primo Patritius, et paulo post eligitur Imperator, quique Rex venit in Italiam, Imperator; et victor redivit in Galliam, et pluribus annis per se, et filios, ac nepotes, et pronepotes suos omnem illam Italiae tenuit portionem, quae nunc dicitur *Lombardia*? Nec unum velim

omittere, quod hic gloriosissimus Imperator in Tusciam veniens, inter Lucam, et Pistoriam, in honorem Beati Petri Apostoli sub promontorio. quod *Montecatinum* ab indigenis dicebatur, aedem sacram construi fecit, quae postea loci plebs facta est, in provincia, de qua natus sum, ad dexteram Nevolae ripam, qui fluvius toti patriae nomen dedit, qui locus, Ptolemaeo teste, *Lucus Feronis* antea dicebatur; unde et nobilior pars terrae Pisciae, *Ferraria*, corrupto, sicut arbitror, vocabulo,pro *Feronia* vulgo dicta est. Qui princeps reliquias Florentinorum, quas Totila, Dei Flagellum, urbe diruta, dissipaverat, colligens, Romanis supplentibus cives, quos illa vastitas perdidit, urbem nostram restituit. Cuius rei, post celebrem famam, et chronicas nostras, monumentum est, quod ad dexteram Arni ripam antiquam Ecclesiam Sanctis dedicatam Apostolis vel restituit, vel aedificavit, dotavitque; repertaeque sunt in arcula aenea paucis annis elapsis sub altariolo S. Ioannis Baptistae, Sanctorum pretiosae reliquiae, quas clerus, et popu-

lus ignorabat, et quas, ut antiquissimae litterae testabantur, domini Caroli Magni Romanorum Imperatoris esse constabat. Quo desinas admirari Florentinorum devotionem ad sanctissimam domum Franciae, sicque gloriosissimus ille sanguis peculiarem curam huius sui populi semper gessit. Et ut prisca illa, licet verissima, dimittamus, nonne felicis recordationis, gloriosaeque memoriae Carolus primus, Ierusalem, et Siciliae Rex, tunc Provinciae, et Folchalcherii Comes, ordinatione Vrbani Quinti deposito Manfredo, qui tunc Siciliae regnum per tyrannidem occupabat, venit in Italiam, Rex factus est, pugnavit, et vicit? Siquidem Carolus ipse magna classe venit ad Urbem, et Rex inunctus est, cumque fortissimus suus terrestris exercitus propter Gebellinorum congregationem in Lombardia clausis aditibus moraretur, invicta Florentinorum Guelforum manus, qui iam annis ferme septem extorres patria gloriose in Lombardia militabant, se novi Regis exercitui coniunxerunt; quae res causa fuit ut Lombardis cedentibus exercitus transiret in-

columis. Tandemque expugnato, captoque oppido Sancti Germani, Rex cum omnibus copiis superatis saltibus, asperrimisque Brutiorum montibus, in Samnium venit, ubi Manfredum offendit apud Beneventum cum maximo sui exercitus comitatu, qui, sicut erat, ingenio ferox, optimum factu ratus fessum exercitum aggredi, cum omnibus copiis suis pugnae praebuit facultatem. Rex autem, ut hostes adesse sensit, locum castris delegerat, quo cogi non posset invitus ad pugnam; hortantur sui quod viris, equisque aspero fatigatis itinere requiem donet, periculum fessos integris congredi: Florentinorum consiliosiores aderant; quid sentiant, quaerit; festinandum esse respondent, ne gentibus hostis augeatur, aut forte consilium mutans pugnam detrectet, quo nihil regi posset esse calamitosius. Rex, ut erat alti animi, conficiendaeque rei avidus, ignominiosum reputans ad pugnam venientibus cedere, statuit experiri praeliandi fortunam, confisus suorum virtuti, quam putat etiam lassitudinis incommodo plus valere. Dat ergo pugnae signum. Primi steterunt in

ordine Florentini, fortissima quidem acies, et expertissimorum in armis. Septingenti fuisse traduntur, hastati omnes, tectis, et armatis equis, sub galeis cuncti cristatis, multi gâleis tecti capita, Papaeque signis ornati, quod adhuc in illius felicis diei memoriam Guelforum nostrae civitatis universitas tenet. Admiratus eos Manfredus interrogasse traditur, quinam essent, responsoque, Florentinos exules esse Guelfos, accepto, tunc suos requisivit ex Florentia Gebellinos, qui cum admodum paucissimi, duos quidem affuisse memoriae traditur, respondissent, aliosque esse custodia civitatis occupatos; hodie, dixit ille, Guelfi Florentini non possunt non esse victores; si vicero quidem eos, faciam meos, urbe, bonis, dignitatibusque restituam; si vicerint, scient uti victoria. Rex pugnaturus primum Florentinis impetus concessit honorem. Irruunt igitur, acieque tota miscentur. Irruunt et Galli, hostesque suis signo notissimis mixtos caedunt, et Manfredum ipsum acriter pugnantem conficiunt. Galli victores totum regnum occupant. Hinc Carolo primo Carolus tuus

tertius, quem meritis, verisque laudibus celebras, sanguine quintus gratia Dei successit. Contra quem cum et ipse sanguine Gallus esset, quod inclitus Rex Ludovicus Dux Andegavensis parum profecerit tam magnifico, sicut memoras, apparatu, non ignavia gentis, crede mihi, sed hominis infelicitas fuit, invictus enim armis morbo confectus est; nusquam victor nec victus, peste, proh dolor! absumptus est, absumptusque clarissimus princeps Sabaudiae Comes, absumptusque maxima parte exercitus; ut omnia haec felicitati Regis Caroli, non victoriae suae, vel Italicae gentis gloriae dignum sit, si recte sentire voluerimus, imputare. Nam et victoriam, quam Deus domino tuo concessit contra deflendae memoriae Ioannem Armeniaci comitem, scis tu, scimus et omnes, altitudine magis animi, et audacia, quae solet obesse consilio ducis, et gentis, quam vestrarum copiarum fortitudine contigisse. Crede mihi, quod si Deus dedisset, duces, et gentes nostras Paduanae victoriae superbas gloria Gallorum castris castra coniungere, dies ille sudores maximos domino tuo,

graviaque pericula, magnamque cladem verisimiliter attulisset. Verum exercituum Deus Sabaoth iuxta suae praeordinationis seriem cuncta perficiens, victorias statuit sicut bonum est in oculis suis. Quidquid autem sit, hoc unum scio quod nostra non potes damnare consilia. Consilia quidem non eventus, sed praeparatio probat. Si feceris, enim, quantum in te fuerit, quod debes, et humana coniectura capit, exitus infelicitas defleri, non damnari consilii, quod praecessit, gravitas, et ratio debet. Nec pendet, vel colligi potest ab eventu temeritas, sed ab ordinatione rerum, ut nisi factum, vel omissum fuerit aliquid, quod fieri non debuit, vel omitti iudicio sapientum, temere susceptum dici non possit, licet felicitas aliquando defuerit, quae quidem solius divinitatis donum, non humanitatis opus est. Etenim, sicut Deus, qui prima causa rerum omnium est, invisibiliter in omnibus praeoperatur, sic scit quem exitum cunctis, quae per nos efficit, sit daturus. Credo tamen dominum tuum, et, si qui possunt esse de tyrannorum salute solliciti, multos suos

nihil magis illius primi belli tempore timuisse quam Ducis Bavariae descensum, qui sibi Paduam abstulit. Veronamque iussu domini tui vastatam ad rebellionem usque concussit, et adventum incliti Comitis Armeniaci, qui somnos illos suos altissimos, et suaves urgentissimis curarum stimulis saepe rupit; parique ratione, cum sensit secundo bello regium praeparatum exercitum, adeo perterritus est, quod bello sicut erat fractus, in manibus incliti dominii Venetorum, cuius fuimus illo tempore colligati, temporales inducias primo, pacemque postremo consensit. Nec puduit tantae potentiae dominum contumeliam non ulcisci aquatici, terrestrisque sui exercitus, turpiter apud Governum fusi, sed velut necessitati cedens, et tempori, manus dedit, et non aliter quam se victum fatens, quas potuit conditiones pacis accepit. Vade nunc, stulte, iacta potentiam domini tui, et quatuor equitum legiones, divina subditos nostros mirabilia tentaturos; sperne Gallos; quid a nobis audiant, quidque respondeant, amentia tua designa. Dic nos ad civitatis, et liber-

tatis interitum festinare; dic totam erectam Italiam ad spectaculum nostrae calamitatis, et has ineptias tuas cum exitu rerum compara. Sique tantum tibi prudentiae datur, saltem disce tam magna iactantibus raro fortunam, et cogitationum exitus respondere, foreque parcior in obloquendo disce, si tamen poteris fraenum tuae petulantiae, quo vanitatis crimen effugias, adhibere. Quod autem dicis in proverbium versum esse: *Italiam sepulcrum esse Gallorum*, non ex eo factum est quod in Italia Gallici periclitentur exercitus, quod de Senonibus quondam legimus, et nostro tempore semel tantum dicere possumus contigisse, rarissimeque possit, si percurras historias, recenseri. Bella namque, quae cum Cisalpinis Gallis fuere Romanis, non Gallica, sed Italica dici debent. Non exercituum periclitatio, quod rarissimum fuit, sed alia ratio fuit, quae tale proverbium usurpavit. Etenim temporibus meis erat, quod nulli domini, nullaque communitas gentes equestres unius idiomatis per totam Italiam ad stipendia retinerent; duarum vel trium lin-

guarum gentes delectabantur habere, putantes cum id esse praestantius obedientiae promptitudine, quam certatim geniti diversis orbis partibus exhibebant, tum tutius conspirationum difficultate, quas propter aemulationem reputabant impossibile posse conflari. Quin etiam, cum res deducebatur ad pugnam, omnibus studium erat honoris proprii, gloriaeque etiam, atque famae gentis suae, quo magis animosi certamini miscebantur. Et cum ea tempestate Gallis altissima pax esset, in Italiam veniebant, quae semper bellis statuit, nobiles eius gentis studio, gloriaque pugnandi. Cumque naturale sit eis lucem pro laude pacisci, quoties pugnabatur, plures ex Gallis quam ex exercitu toto fundentes sanguinem moriebantur; ut loco miraculi foret Gallorum aliquem decennalis militiae periculis superesse. Cumque contingeret aliquem famosum hominem post decennium, ex quo stipendia meruisset in Italia, sospitem redire in patriam, carissimus apud suos, et honoratissimus habebatur. Hinc quod virtutis testimonium erat, inolevit, ut proverbialiter diceretur,

Italiam sepulcrum esse Gallorum. Et tu, si Lombardus es, cum antiquissimi generis Gallorum aliquis esse debeas, in maiorum tuorum dedecus, et in ignominiam Lombardiae, quam tu ipse Galliam Cisalpinam vocas, quae sunt gloria gentis illius, ignorantia rerum, detrahendique libidine, turpi nimis ratione depravas. Sed de Gallis satis. Nunc ad illa, quae de nobis concludens obloqueris, veniamus. Dimissis ergo Gallis, ad nos redis, et inquis:

At vos furor, et rabies, et impatientia quaedam pacis oblivisci faciunt omnium salutarium exemplorum. Non tenetis ista memoriae, nihilque nisi imperium crudele, nefarium, mente, cogitationibusque versatis. Potuistis quidem soli, et in vestris manibus situm erat, Italiae pacem dare, sedare tumultus, auferre discordias, res denique Italas tanta tranquillitate componere, quanta non fuerant patrum, avorumque memoria. Nam cum in Italia vos post Liguriae principem scire multa, posse omnia videremini, essetque ille etiam, quum di-

gnitati, et splendori sui nominis conveniret, pacis avidior, propter quam non sine amicorum suorum stomacho ita se haberet humiliter, ita et quaedam indigna quotidie patientissime toleraret, ut et vobis cervices erigeret, qui paci eratis adversi, et eorum, qui melius sentiebant, corda posset inflectere, nil prohibebat, si vobis pacis studium placuisset, pacem perpetuam esse futuram. Sed abhorrebant curiae vestrae a consilio quietis, animos vestros urgebant conceptorum scelerum stimuli, et aures vestras sanioribus monitis obstruebant, atque oculos obcaecabant furiae illae pestiferae, quas peccata vestra de sedibus tartareis excitarant. Itaque semper contra salutem Italiae, contra pacem, contra bonorum consilia, contra patriae vestrae statum, ac requiem, sic fuistis accensi, ut sine dubitatione videremini, non pro cura, et conservatione vestrae reipublicae vigilare, quod unum volebatis intelligi, sed ad civitatis, et libertatis voluntarium interitum festinare, qui quidem ita iam proximus est, ut et

vos iam iam impendentis ruinae terrore concutiat, et universam Italiam ad spectaculum vestrae calamitatis attollat.

Haec ultima verba tua sunt, plena fellis, quaeve a solito mendaciorum tuorum more non abhorreant, facileque possem omnia sine responsione dimittere, nisi me movissent verba tua, quibus dicis illum dominum tuum ad Italiae pacem tam obnixe dispositum, et nos versa vice fuisse semper pacis affectu, consilio, et operibus inimicos. Promptum est, libereque potest quilibet haec, et maiora proferre. Verum populi decernere non possunt bella moveri sine multorum assensu, quod adeo difficile semper fuit, et praesertim in hac nostra Republica, quod durum fuerit etiam pro defensione libertatis, et status popularem habere consensum, sine quo pace, vel bello nihil esse potest efficaciter constitutum; ut moribus nostris arduum semper fuerit necessarium etiam bellum suscipi, nedum quod moveatur voluntarium obtineri. Nec mirum; quidquid enim bella nostra deglutiunt, sola tributo-

rum praestatione persolvitur; tributorum, inquam, quae, sicut urget necessitas, consensus omnium praecipit, et de bursis nostrorum civium haurienda disponit. Quo fit, ut nisi summa necessitas compellat, quae nulla nobis est, nisi defensio libertatis, nunquam bella fieri, vel suscipi decernatur. Adde quod nostra civitas non ingenita nobilibus ambitione regitur, sed bonitate mercatoria gubernatur; cumque nihil inimicitius esse possit mercatoribus, quodque mercimoniis, ac artibus plus afferat detrimenti quam strepitus, turbatioque bellorum, certum omnibus esse debet mercatores, et artifices, in quorum manibus nostrae reipublicae gubernacula sunt, pacem diligere, vastitatemque bellicam abhorrere. Tu vero, contra rerum naturam, contra mores, et hominum consuetudinem, contra veritatem, et evidentiam agibilium, Florentinos esse dicis pacis hostes, bellique cupidissimos sectatores, et illum dominum tuum pacis avidiorem, quam dignitati, et splendori sui nominis conveniret. Quae quam vera sint suae litterae declaraverunt, per

quas sponte nobis post insultationem nostrorum finium bellum velut hostis indixit, praefatus se pacem Italicam optavisse. Pacem ne cupit, qui nulla ratione bellum infert, bellum denunciat, et minatur? Pacem ne diligit, qui bello, quod inter Paduanum, et Veronensem dominos gerebatur, se permiscens, malum, quod iam tepescebat, integrans, dividensque cum socio spolia, pactionibus, quas servaturus non esset, ambitione sola, sicut pactum docebat, et declaravit exitus, bellum gessit? Pacem ne diligit, qui socii portionem contra fidem, et foedus per coniugem occupans, mox in socium foedifragium iustissime conquerentem, sceleratissime bello surgit, ipsumque, iuncto cum communibus inimicis foedere, de socio inimicum, de domino servum, de divite pauperem, de felice miserrimum bello facit? Quid est hoc nisi ponere ius in armis, nisi velle tantum praestare causa, quantum se sentit antistare potentia? Nobiscum autem cum ligam, et concordiam firmasset in civitate Pisana, cuius primum, et principale capitulum erat, ad se mutuo nullatenus offenden-

dos, nonne mox, concluso foedere, omnibus terris suis velut hostes prohibuit Florentinos, vanissimaque fingens, et falsa cavillatus est, nos eum decrevisse, miro pecuniarum effluvio, de medio tollere, quocumque modo fieri posset, quod nihil aliud inferre poterat, nisi scelus gladii vel veneni? Cumque nostra sinceritas respondisset, hoc impossibile nobis esse, nisi tam horrendum facinus cum ministris suis foedissimis tractaremus, quod stultum, et temerarium foret aliquo modo tentare, et quod hoc non a nobis, vel Florentinorum aliquo, sed a suis stipatoribus formidaret, cognoscens se non posse tam falsa defendere, novum aliquid non minus impossibile commentus est; finxit, enim, nos decrevisse percussores immittere, qui eum iuxta morem suum aucupio, vel venationibus occupatum, gladio, iaculis, arcu, vel balista conficerent, et intra fines custoditissimos sui nemoris temeritate stultissima trucidarent, quasi posset exploratum nobis esse tempus, et locus, vel exeuntis ad talia comitatus, aut possibile nobis foret aliquos reperire

Lombardos, vel Tuscos tam vitae propriae contemptores, quod ad mortem certissimam incerti commissa perficere se conferrent. Erant ne forte nobis Hesperii fratres, qui solvenda parentibus centum milia florenorum, ut ille fingebat, pro tam pulcro scelere paciscerentur? Quibus cum pacem irritam facere cogitaret, Ioannem Vbaldinum valida latronum societate stipatum Senas misit, per quos nobis bellum nil tale verentibus, antequam denunciaret, inferret; experientiaque didicimus, totaque vidit Italia ipsum vel turbatis rebus, ruptis foederibus, et pace violata, bellum gerere, vel pace, foederibusque firmatis, nihil aliud quam bellacia cogitare. Dicas aliis quam Italicis dominum illum tuum avidiorem pacis esse, quam splendori suae dignitatis, et nominis conveniret. Nobiscum talia, si placet, noli iactare mendacia; difficile nimis suadere verbis aliquid, cuius oppositum rerum evidentia cognoscatur. Et quod bellum post captum, depositum, et occisum ab ipso patruum, socerumque, fuit in Italia, quod ipse non gesserit, iuverit, foverit, moveritque? Quis unquam

in ipsum, dic, obsecro, bellum fecit? Quis etiam contra statum suum aliquid attentavit, aut ausus fuit pro magnitudine potentiae cogitare? Et quis adeo stultus, qui bello provocet potentiorem? Quis in Italia dominatus, qui contra potentiam suam auderet bella movere? Vnum scimus, quod et te, licet insanias, negatum ire non arbitror, quod nunquam necessarium bellum intulit, vel suscepit. Voluntaria semper arma movit, voluntaria, eaque ipsa nefaria, bella gessit. Ruptá fide, violata pace, calcatisque foederibus, bellaciter semper cuncta turbavit. Poterat omne bellum, quod insurgeret, poterat omne scandalum pullulans, ante nativitatem, et in ipso conceptu contundere, totamque, si voluisset, Italiam bonitate, et humanitate sua summa pacis dulcedine continere. Qualiter hoc fecerit tribus bellis, quae nobis intulit, duobusque, quibus Veronensem, et Paduanum confecit dominos, declaravit. Ducem semper habuit ambitionem; hanc secutus omni fide, et honestate, foedera divina, humanaque turbavit. Quo dominandi spes, et flatus impulit,

pedem tulit; unde reppulit pedem traxit. Hanc arcton, hoc sidus, sedens, et ambulans, dormiens, atque vigilans, semper sibi proposuit, semper velis, remisque secutus est. Ibi fas, ubi vel minima spes augendae dominationis effulsit. Hac de causa bella gessit; hac intentione pactus sibi Veronam, dominoque Paduano Vicentiam, bellum Veronense suscepit. Hac rabie Vicentiam ruptis foederibus per coniugem suam cepit. His actus stimulis deceptum socium adortus bello, sociis Venetis Tarvisium linquens, pro se, sicut pepigerat, Paduam occupavit. Hac eadem siti civilia bella Ianuensium, et miras eiusdem gentis ducum alternationes semper fovit. Hoc, proh dolor! scelere levitatem Bononiensium ad invicem civica dissensione concussit. Hac eadem fraude nunc Astorgium, nunc inclitum Comitem Albericum, astu variae ludificationis adivit. Hoc proposito Bononiensibus civilis dominationis caput erexit, moxque coepit erectum mille machinationibus agitare; tandemque stultum et infelicem illum populum, cum in libertatem vana credulita-

te se putat asseri, iugo suae tyrannidis fecit miserabiliter occupari. Dic nunc, quicumque sis, hunc Liguriae principem avidiorem pacis fuisse, quam splendori suae dignitatis, et nominis conveniret. Dic nos, quibus nihil gravius, quam bellum gerere, nihil difficilius quam bella, licet necessaria, deliberare, nihil optabilius amoenitate tranquillitatis, et pacis, nihil incommodius privatim, et publice bellica vastitate, a quietis, et pacis consiliis abhorruisse, et verbis exorna, si placet, auge, vel honesta sententiis; crede mihi, nihil fidei penes bonos, et graves, et facta, non verba ponderantes poteris promereri. Verum, inconsideratissima bellua, cum nos post Liguriae principem, scire multa, posse omnia dicas, quomodo nos faecem Italiae, tam alte de nobis sentiens, appellasti? Si faex Italiae sumus, quomodo potuimus nos soli, et in nostris manibus situm erat, Italiae pacem dare? Hoc opus non extremae faecis, sed summi capitis esse solet. Si pacem Italiae, sicut forsan intelligis, esse ducis sub uno capite convenire, idque tribuis duci tuo, pacem hanc fateor

in manibus nostris esse. Sed absit a nobis, ut dominum habeamus perdita libertate, pro qua maiores nostri, nosque etiam tam longo tempore, tanto sanguine, totque laboribus, tot expensis, tanta cum gloria dimicavimus. Absit, inquam, et opto. Video equidem quod si manus dederimus, cuncti cederent, et, ut iam praefatus sum, sine sudore, vel sanguine foedissimam subiret Italia servitutem. Nos obex, nos obstaculum soli sumus, ne cursum perficiat per omnem Italiam ille tyrannicus dominatus, qui tot urbes, tot castra, totque oppida miserrima conditione subegit. Hanc pacem dominus tuus optabat, hanc cupit, et inaniter semper cupiat, oro, tali patre digna posteritas. Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, omnia vel medium fiant mare, redeatque cataclysmus transcendens triginta cubitis omnes montes, quam talis videatur abominatio super terram. Huius autem pacis, quam dominus tuus optabat, fateor, Florentinos semper hostes, et obstaculum extitisse. Vera vero pax, quae bellum omne sopiret, quae statum conservaret, et tranquillita-

tem Italiae, in manibus eius erat. Ipse, ipse omnia concutiebat cupiditate regnandi. Ipse solus, si manus abstinuisset ab aliis, si turbantibus alios, ut poterat, obstitisset, solo verbo cuncta sedasset. Ipse solus potuit pacem serere, totamque simul Italiam, nobis etiam faventibus, in pacis dulcedine continere. Cumque posset, deberetque, cum nullum videret par stare caput, nullumque tale, quod formidinem sibi posset inferre, de statu suo super omnes esse securus, debuit et alios reddere pari ratione securos, non omnes bello, minis, nutu, secretisque proditionibus exterrere. Quievisset terra ante faciem eius, et moriens de se verum, et aeternis celebrandum laudibus nomen, velut auctor pacis, non perpetuus belli fomes, ac deflendum omnibus reliquisset.

Credo satis tuis maliloquiis, quisquis sis, tam abunde, quam rationabiliter, et quod nullos negaturos arbitror, verissime respondisse. Nec quidquam remansisse puto, quod non fuerit diligentissime confutatum. Si potes alicubi te tueri, si potes nostra reprehendere, fac audacter; vel

disces tu, vel, quod semper mihi placuit, discam ego; fac tamen tali, tam certa, tam valida ratione respondeas, vel reprehendas, quod iterum invehendi non tribuas occasionem, materiam, et necessitatem. Dimitte patriam, oro, dimitte, si placet, et Gallos, quos non expedit in tuum dominum, cuius placita sequeris, provocare. Mihi tecum sit, obsecro, de dictis hinc inde certamen; nec dicamus solum, sed probemus, persuadeamusque. Dicendi quidem latissima facultas est, nec minus possumus falsa, fictaque dicere, et ornate dicere, quam vera, compertaque. Cum in periculum probationis, aut improbationis venerimus, iudicium aliquod esse poterit de veritate, de vi, rationeque dicendi. Quove tibi viam aperiam, dixi multa pro patria, dixi contra dominum tuum pauca quaedam, sicut respondendi necessitas compulit; ex libidine quidem maledicendi, Deum testor, me penitus nil dixisse. In quo velim haec nostra legentes boni consulant; exigerem hoc etiam a temetipso, si tibi foret aliquod de dicendi ratione iudicium. Dixi multa, re-

spondique pro Gallis, dixi plurima contra te, maledicta tua, et imperitiam tuam. Conare, si potes, ut ad ista respondeas, adducta, sicut decet, in medium ratione. Non obiurgeris, et ego non obiurgabor. Possum te dicere (quis enim vetat?) assentatione Gnatonem, crudelitate Syllam, nec Syllam solummodo, sed Marium, Cinnam, Neronem, sive Caligulam; possum et Domitianum, possumque Munacium, possum luxuria te dicere Sardanapalum, voluptate Xersem, qui novae delectationis auctori edicto publico praemia constituit. Possum libidine te vocare Priapum, atque Silenum, et ut ad historias transeam, Antonium triumvirum, et qui in hac re cuncta Veneris monstra vicit, nequitiae foedissimae spurcissimum Varium Antoninum, qui et Eliogabalus dictus est. Possum etiam te P. Clodium appellare, incestu sordidum in sororem, infamem pollutis caeremoniis, sacrilego concubitu, corruptisque pecunia iudicibus, nec non et prostitutis infandorum iudicum nequitiae per venale nefas, scelusque nocturnum, pueris ingenuis, nobilibusque ma-

tronis, prout quisque pro suae voluptatis libidine cupiebat, turpiter absolutum. Possum et invidia te dicere Mutium, vel Aglauron, iracundia Magnum Alexandrum, Plutarchumque Fundanum; superbia Tarquinium, qui septimus regnavit in urbe; avaritia L. Septimulum, Q. Cassium, Midam, aut Tantalum; rapacitate Verrem; perfidia Ptolemaeum, aut Iudam; inanis gloriae iactatione Thrasonem; curiosa temeritate Bladudem Anglorum regem, qui nexis alis, affectato volatu, dum aviculas imitari satagit, super Apollinis templum ruens, in urbe, quae dicitur *Trinovantum*, ut scribitur, miserabiliter extinctus est. Possum per historias, poemataque discurrens, te vitio quolibet, aliquibusque notare, vocareque cuiusvis nomine vitiosi. Potes et tu me sigillatione simili, si volueris, afficere, et nunc hunc, nunc illum pro criminationis differentia nominare. Possumus et ambo pari ratione quaecumque placuerit maledictis lacessere, et laudibus etiam exornare. Cavenda tamen sunt hinc inde mendacia, praesertim si maledixerimus.

Reprehensibile quidem nimis est, alium corripere, si non fiat debita ratione. Mentiri vero, falsoque cuipiam etiam inimico, quem privatim odio habeas, vel hosti patriae, quem publice detesteris, crimen imponere, non inhonestum solummodo, sed turpe, sed abominabile, scelusque, quod nulla ratione valeat expiari. Si veritate, si ratione viceris, dabo manus, nec in aliquo refragabor. Si pergas, et errores fovens tuos, pervicacia putes vincere, referam tibi, quae scripsit Hieronymus Augustino, ut aetatem non contemnas meam: *Memento Daretis, et Entelli*, et vulgaris proverbii, *quod bos lassus fortius pedem figat*. Durius, quam putes, est iuveni senem dicendo vincere. Cum enim iuventae senectus ferme cedat in omnibus, quae corporibus exercemus, quoniam loquacior tamen vetustas est, dicendo solet facile superare. Haec, enim, aetas tot audivit, tot didicit, atque vidit, quod in tanta rerum copia difficile nimis ei sit multiloquio modum ponere. De ceteris contendat cum senibus iuventus, de vincendo secura; consilio vero, pugnaque

dicendi, moneo, non decertet. Sum armatus notitia rerum, veritate negotiorum, et iustitia causae. Scio foedera, scio societates, scio violationes, et foedifragia; scio quid contra nos factum, novique similiter et in multis, quid in nos, fide pessumdata, sit tentatum. Vberrimam habeo materiam pro libero, principeque populo contra tyrannidis impotentiam, atque iugum, pro fide contra perfidiam, pro iustitia contra iniquitatem, pro veritate contra mendacia, pro rebus solidis contra vana figmenta. Velit Deus, si periculum fecerimus in dicendo, quod pro medietate materiae sit mihi satis oris, mediocrisque facundiae. Non vereor, si concesserit hoc Deus, non habere victoriam, quotidieque me fortius quam ut resisti valeat certaturum. Quando posset, enim, contra talia deficere quid dicatur? quando dicenti pro talibus non abundantissime suppetet, quod assensu cunctorum perspicue concludatur? quis ita segnis, atque tepentis eloquii, qui causam agens istam, excitante materia non calescat? qui rem tam claram perspicue docere non possit?

qui, cum pro parte, quam tueor, stet certissima veritas, atque prompta, non debeat etiam pervicacibus perorare? qui non possit interrogationum vehementia pungere, immo confodere ex opposito disputantem? qui non possit exclamationibus rem augere? qui non possit permovere crebris indignationibus animos auditorum, moderataque conquestione taliter afficere, quod in commiserationem personarum, et temporum inclinati sibi faveant, et adversariis irascantur? Sed quid moror? Exeat e latebris haec vipera, quae tot dicendi reflexibus pro vipera declamavit. Efficiam, ni fallor, quod sibilare desistat. Nunc autem, si dignum, sique tibi videtur hominis ratione degentis esse, nullum laudabilem finem in re tanti ponderis, quanta sit maledicere Florentinis, tibi proponere, quem intendas, nisi maledixisse, nisi famam tantae gentis voluisse tot exquisitis mendaciis obscurare, nisi, sicut dixi, malitia frui tua; sique pulcrum, oratorium, et artificiosum est orationis initio, fidei, si quam assequi debeas, abrogare culpa tua, et procacitate tua; sique adversariis

optandum est, velut crimen aliquod obicere, dignum putas; si mendaciis eos, in quos dixeris, insectari, quae cunctis aperta sint, ex arte, rationeque dicendi iudicas esse posse; si divinare, quove rectius loquar, affirmare quae videris ex praeteritis, quae sunt argumentum, et coniectatio futurorum, nedum non speranda fore, sed potius desperanda; si tam multa polite dicere, quae non arguas, nec probes, probari quidem non possunt, pulcrum ducis, resume, responde, proba, dic, ut appellantium est. Quod non dixi, dicam, quod non probavi, probabo; dic, et fac, ut libet, mendaciis tamen abstineas moneo. Parmenonis verbis, ut ille inquit, hac lege tibi fidem adstringo meam. Quae vera audivi taceo, et optime contineo. Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est, plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. Proin tu, taceri si vis, vera dicito; tacebo quidem, immo fatebor, et assentiam, quae vera dixeris. Si redibis ad falsa, non patiar, mox in conflictationem descendemus. Nec credo te mendaciis obtinere quae voles, nec

falsitati succumbere veritatem. Fac etiam quod saltem de grammatica aures meas non offendas, in quam rem puduit vicem tuam te toties incidisse. Nec artis rhetoricae rationem laedas, memor quod non satis sit dicere, nisi probes, et quod probare non sufficit, nisi persuadeas. Haec satis; multa quidem secundo congressu, si perrexeris, reservare decrevi. Vetus enim proverbium est, remanere vacuum, atque nudum, qui quicquid habet expenderit, et dixerit quidquid novit.

EXPLICIT.

RISPONSIVA

alla Invettiva di Messer Antonio Lusco fatta per Cino di Messer Francesco Rinuccini cittadino Fiorentino, e traslatata di Grammatica in volgare per . . . . .



Alla perfine è venuto in luce quello dì, o Antonio Lusco, il qual non ti mostra sol cieco del corpo, siccome il nome consuona, ma quello, che è peggio, dello intelletto. La qual cosa con verissime ragioni dimostrerò brevemente. Avvegnaiddiochè la tua falsa, e maledica materia desideri uno libro, nè le basterebbe iscritto infino nelle coverte, nè ancora sarebbe finito Oreste, nondimeno quello incomposto, vario, e commutevole abbaiare in ordine costrignerò con poche parole, presupposto una cosa, o lettori, della presente operetta,

cioè, ch' ogni cittadino è tenuto alla patria, non mi vedrete vanamente mosso, ma per la verità commosso. E usando la parola d' Aristotile: *Amica m' è la patria, ma più la verità*. Per la qual cosa li tuoi non oratorii luoghi, ma falsità vanissime insino alla radice annullerò. Rispondi, adunque, o loquace Lusco: sono i Fiorentini, prudentissimi cittadini, turbatori della patria, e guastatori del riposo d' Italia? i quali già tanti anni passati, certo quando li tuoi antichi non erano ancora ricordati, perocchè tu se' uomo nuovo, la libertà in Italia conservarono prima, quando Mess. Mastino dalla Scala, grandissimo tiranno in Lombardìa, la fiorente Fiorenza in libertà desiderò inghiottire, sottilmente veggendo, che se avesse tagliato il capo della libertà, arebbe veduto il resto del corpo morto, e agevolmente sarebbe tutta Italia soggiogata; conciosiacosachè tutta la Lombardìa gli servisse, la qual fu sempre fossa puzzolente, e notissima di tiranni; resistente Firenze allora piccola a tanta rabbia, e a sì eminente pericolo. E così quel Cane rabbioso

dal suo incepto ritrasse, e in varii luoghi molto del suo dominio conculcando; e nell'ultimo tanta superbia terminò.

Ancora quando l'Arcivescovo Ligustico con volpino insidiato, vivente con lui la nostra Repubblica in pace, mandò sopra il nostro tenitorio sedici mila cavalieri, e pedoni infiniti, li quali prima nel piano del nostro Contado, che è detto *Campi*, s'accamparono, dipoi per lo smisurato caldo, perch'era tempo di mietitura, in Mugello, luogo montuoso, e alpino, si ricolsono, dov'eglino potessono per lo tempo meglio i comodi de' suoi campi pigliare, e ivi uno piccolo castelletto, che è detto *Scarperia*(2),

(1) Se ai tempi di Cino Rinuccini, scrittore di questa Invettiva, Scarperia era un piccolo, e ignobile Castelletto, non lo è certamente adesso, nè è stato da lungo tempo. Egli ha pure i suoi fasti assai luminosi, ed ha dato ai nostri Storici motivo di rammentarlo sovente. Vno dei più luminosi però lo si è quello di essere stato la cuna di uno dei più dotti, e tersi scrittori dei dì nostri. Questi è l'Ab. Luigi Fiacchi morto con grave danno delle Lettere, e con gravissimo rincrescimento degli amici, nel ristretto ruolo dei quali era io uno dei più veterani, ai 25. Maggio 1825. Pochi giorni fa nella Chiesa di

sanza contrasto assediarono, conciosiacosachè la nostra Comunità, ispogliata di

S. Maria del Carmine, ove è sepolto, gli fu eretto un modesto, ed elegante Monumento col di lui Busto espresso al vivo, scolpito dal valente nostro scultore Stefano Ricci, sotto di cui è la seguente caratteristica iscrizione, parto felicissimo dell' aurea penna del Sig. Giovanbattista Zannoni Regio Antiquario.

A. ☧. Ω.

Aloisio.Alexandri.F.Fiacchi.Qui.Et.Clasius
Sacerdoti . Mucellano
Doctori . Philosophiae . et . Mathesis
In . Lyceo . Leopoldino
Sódali . Academiae . Furfureorum
Viro . Probo . Candidaeque . Indolis
Et . Cum . Multiplici . Doctrina
Summaque . Ingenii . Solertia . Modestissimo
Peritia . Tusci . Sermonis
Cum . Celebrioribus . Qui . De . Eo
Anteactis.Aetatibus.Disseruerunt.Comparando
Scriptori . Nitido . Elegantissimo
Cuius . Fabulis . Et . Pastoralibus . Epigrammatis
Poesi.Nostrae.Et.Moribus.Decus.Est.Additum
Lausque . Italici . Nominis . Amplificata
Vix. An. XXX. *M.* XI. *D.* XXI.
Decess. VIII. *Kal. Iun. An. M. DCCC. XXV.*
Eique.Ex.Indulgentia.Leopoldi.II.M.E.D.
Sepulturae . Locus . In . Hac . Aede . Datus . Est
Nicolaus.Frater.Heres.Et.Amici.Cum.Lacrimis
Benemerentissimo . Posuerunt.

gente d'arme, di sì furtivo, e subito assalto non sospettava; quivi per ottantaquattro dì quello piccolo castelluccio, e sanza mura dì, e notte continuo combattendo, che piuttosto fu miracoloso, che umano, non poterono ottenere; per che non più irati, che vituperati tante migliaia di cavalieri, e tante migliaia di pedoni a Bologna in quello tempo dello Arcivescovo se ne andarono; in quello mezzo la nostra città si fortificò di soldati per resistere a tanta tirannìa. Ma la divina previdenzia, che mai i buoni non abbandona, previde, e quello ispietato con morte sùbitanea uccise, e tutta Italia liberò.

Quando quello crudele tiranno Mess. Bernabò il Castello di San Miniato, di civile pestifera divisione quassato, per volontà de' nobili usurpò, credendo colla vicinità, e attitudine di quello, Firenze capo di libertà tranghiottire; ma la nostra città con piena balìa otto cittadini elesse, i quali per reparazione di tanto, e di sì presso pericolo continovamente vegghiassono, la qual cosa di me iscrittore m'ascrivo in grande onore, conciosiacosachè mio

padre fosse di quelli otto, i quali in brevissimo tempo con sottile artificio, con consentimento di tutto il popolo lo estirparono delle spietate mani della gente dell'arme, e con volontà di tutti li buoni l'ascrissono sotto il dominio della nostra Repubblica, e così la iniqua volontà del perfido tiranno cessò.

Ancora quando non Pastori di Chiesa, ma lupi rapaci, Mess. Giovanni Aghud, allora Capitano generale della Chiesa, sotto titolo di Compagnìa così malvagiamente mandarono; conciosiacosachè la nostra Repubblica colla sua madre Chiesa pacificamente fosse vivuta, nondimeno gl'iniqui Pastori consapevoli, che a Firenze in quel tempo era grandissima carestìa, e il biado istava non ancora segato sopra la terra, mandarono il sopraddetto Mess. Giovanni, fermamente tegnendo, che se egli con sua gente inimichevolmente assalissono il nostro contado, noi non provveduti consumerebbono sanza dubbio di fame. Ma la nostra Comunità, con così presta sollecitudine, come con grande liberalità, ottimamente provvide man-

dando i suoi leali, e virtuosi cittadini Simone di Rinieri Peruzzi, e Spinello di Luca Alberti con mandato pienissimo al Capitano della detta gente, i quali a loro dati cento quaranta migliaia di fiorini, oh pregio non più udito di redenzione di gente, che seguono i campi! con loro si composono, che per quell'anno non assalissono il nostro contado; in quel mezzo la nostra Repubblica al modo usato creò otto cittadini con balìa, i quali alla superbia de' Pastori di Babilonia provvedessono; e i detti secondo il tempo si collegarono collo astuto tiranno Mess. Bernabò intendente la insaziabile voglia di signoreggiare de' Pastori della Chiesa, acciocchè in ogni modo la nostra libertà difendessimo. In quel mezzo quegli otto circospetti cittadini, occultati i loro segreti consigli, che è utilissimo nelle cose fattibili, acciocch'io parli brevemente, Bologna, Perugia, Romagna, il Patrimonio, la Marca Agontana, il Ducato Ispuletino, la Campagna di Roma delle mani degli spietati liberarono; e quello, che si può eternalmente ascrivere alla moderazione della nostra Repubblica fu,

che di tante provincie, di tante città, di tante castella niuno per se propio ne prese, coloro non solamente pregando, ma spontaneamente supplicando, che noi le loro Repubbliche governassimo, ma rinunziato la nostra Comunità, rallegrandosi, che come fratelli usassono la dolcissima libertà. Furono adunque, o ... i Fiorentini del riposo Italico turbatori, i quali la libertà tante volte con tanti colpi commossa conservarono? Istomacherassi mai alcuno buono, o bruttissimo, di sì nobile città, la qual sempre con l'odore di suavissima libertà tutti i buoni Italici riempie, e anche i tuoi Lombardi, se alcuno v'è degno d'attignere l'odore di tanta soavità? Ancora ispargi, o sciocchissimo, molte parole ventose dicendo, noi Fiorentini non essere nati della nobile progenie de' Romani; la qual cosa ogni verace istoria il testimonia, e a' quali Romani secondo quel ch'è 'l meglio la nostra virtù corrisponde, come si manifesta nelle cose seguenti, per li esempli de' nostri uomini illustri. Non sai tu, o ignorantissimo, come prima i Romani, ascendente l'Ariete sei gradi

sotto il dominio di Marte, essente allora in quello segno anni settantacinque innanzi all'avvenimento del Signore cogli altri calculati aspetti, acciocchè la città di Fiesole loro nimicissima disfacessono, edificarono la Toscana Firenze, non veleno, e feccia degli Italici, come tu falsissimo abbaii, ma di cosa ottima delle antiche religioni trovatori, e cultivatori, nè si curarono del dominio del furioso Marte, il quale sempre fine pestifero influisce, siccome poi avvenne, cioè, quando per Attila fu per inganno distrutta; ma più saviamente reedificata, come fia manifesto disotto. Or per non andare troppo vacando teco, nè delle istorie, nè della Astronomìa non parlo, il quale non che tu della vera Astrologìa, e le vere istorie sappi, ma di non conoscere le lettere dimostri ancora, mandi fuori parole falsissime, o isciocco, dicendo noi della Santa Madre Chiesa avere tenuto concilio, che come sia cosa non vera, manifestatelo la verità di quello tempo, e ora chiaramente il dimostra: siamo co' buoni Pastori della Chiesa per difendere la libertà, e per distirpare la tirannìa fer-

missimamente per collegarci. Ancora usando la parola di Salamone, o fruto, tu bolli isciocchezza, affermando noi avere voluto il Romano Imperio permutare, del quale sempre fummo figliuoli, e fedelissimi tributarii. Non sai tu, o demente, la elezione di tanto ufficio, e del secondo luminare del mondo essere uscita delle mani degl' Italici, e, oh dolore! pervenuta ai Tedeschi, li quali Mario a Romano imperio sottomise, quando in battaglia ... tutti per affanno convenne non bere più del fiume acqua, che sangue? Come adunque possiamo lo 'mperio promutare, conciosiacosachè gli elettori sieno nella Magna ordinati, certamente più eternale vituperio de' Lombardi manicatori di rape, e di loro tiranni, conciosiacosachè la Lombardìa sia quasi la più potente parte d'Italia, così per lo addietro difensione dello egregio ufficio essere dovea. Nè ancora non neghiamo avere voluto contrastare alla superbia del tuo falerato Duca, perocchè sempre è, fu, e sarà licito difendere la propria libertà. Minacci ancora, o paurissimo, che non che noi possiamo contra-

stare alla moltitudine de' tuoi eserciti, ma delle armi non potremo sostenere lo splendore, perchè ti rispondo, che noi non siamo cannucce di pantano, che ogni venticello le conturba, ma granello di pepe contro alle migliaia de' papaveri. Rispondimi, o garullo, e protervo, i tuoi in dieci anni con tanti cavalieri, con tanti pedoni, con tutte le forze di Lombardìa, con tutte quelle di Toscana istare in sul nostro contado tre dì, noi colle nostre copie, con quello nobile Capitano Mess. Giovanni Aghud grande parte di Lombardìa tentando corremmo, acciocch' e' quatriduani puzzolenti nel sepolcro allettassimo alla dolcissima libertà, ma oh dolore! non seppono altrimenti vivere quelli, che sempre furono servi, che servendo servire. Ancora, o falsidico, molti vani parlari de' nostri sudditi liberi componi, innanzi agli occhi pognendo, che della patria, della moglie, de' figliuoli non possono alcuna dolce cosa gustare, ma veramente quello che co' tuoi tiranni provi quel parli, alla cui libidine istanno suggette le verginette, vedove, e matrone, e

non solo di loro, ma quello, che è peggio, di loro provigionati, e seguitatori delle Corti, sotto il dominio de' quali attorneati di spade, i liberi sono servi, e non che possano quello, che sentono del bene della patria parlare, ma non lo ardiscono a pensare, e se di loro alcuna sospeccione accadesse, di non udito, e crudelissimo tormento sono tormentati. Noi in verità i nostri sudditi parte delle ispietate mani degli uomini abbiamo tratti, de' quali è scritto niuna fede, niuna pietà è negli uomini, che seguono i campi, cioè gli Aretini, che per lo addietro furono di tanta civile divisione tormentati, che quasi la loro città arsono per pestifere parti, e nell' ultimo nelle mani degli spietati pervennero. Noi quella città ispogliata de' beni proprii, e quasi consunta comperammo da' Galli, e loro abbiamo sì ricomposti, che ora in dolce tranquillità si riposano i buoni d' amendue le parti affermanti non s' essere giammai sì bene riposati. I Samminiatesi trovarsi per la superbia dei loro nobili nelle mani del crudelissimo tiranno; come sai, liberammo, e sì placidamente si

posano, ch'altrimenti non vorrebbono istare; la qual cosa si manifestò quando quello non benedetto, ma maledetto, il nostro Vicario, e leale cittadino a tradimento uccise, isperando con sua compagnìa contro ai Fiorentini commovere il popolo, il quale immantanente ad una boce gridarono: *Viva viva il Comune di Firenze*, e sanza nostro sussidio il detto fuori del Castello cacciarono. Così benignamente, così liberamente, così giustamente viviamo coi nostri sudditi, come il degno fine dimostra. Ma avvegnaiddiochè infiniti esempi mi s'offerieno fo fine, acciocchè all'altre tue bestialità possa rispondere. Ferventemente domandi, o ciechissimo, con che biado a tanto popolo sovverremo, conciosiacosachè per le tue genti infinite la nostra vittuvaglia debba ardere. Ma rispondoti colla parola del Serenissimo Cesare di Lusimborgo, per le cui forze, e industrie militari dal primo Cesare infino nel suo tempo niuno de'Cesari per maestrato di cavalleria, per prudenzia, per continenzia, e per giustizia, e per l' altre virtù così dignissimamente imperò, il quale il passaggio oltremare

ferventemente desiderava di fare, il quale ritardarlo è grande vituperio de' due luminari de' Cristiani, e degli illustrissimi Re, e de' grandi Principi (1). Nondimeno

(1) Sì fatti rimproveri fece a quei dì istessi il Cantore di Laura in quel bel terzetto de' suoi *Trionfi:*

Ite superbi, o miseri Cristiani,
Consumando l' un l' altro; e non vi caglia,
Che 'l Sepolcro di Cristo è in man di cani;

e gli ripete in seguito ezia ndìo il Cantore d' Orlando in queste tre mirabili Ottave del *Canto* XVII. alla st. 73. e *segg.*

I Soriani in quel tempo aveano usanza
D' armarsi a questa guisa di Ponente.
Forse ve gl' inducea la vicinanza,
Che de' Franceschi avean continuamente,
Che quivi allor reggean la sacra Stanza,
Dove in carne abitò Dio Onnipotente;
Ch' ora i superbi, e miseri Cristiani,
Con biasmo lor, lascian in man de' cani.

Dove abbassar dovrebbono la lancia
In augumento della santa Fede,
Fra lor si dan nel petto, e nella pancia
A destruzion del poco, che si crede.
Voi gente Ispana, e voi gente di Francia,
Volgete altrove, e voi Svizzeri, il piede,
E voi Tedeschi, a far più degno acquisto,
Che quanto quì cercate è già di Cristo.

la nostra città piccola, e oltre a modo di civile divisione percossa, e in parte di mura non cinta, coll' aiuto del Reverendo Padre, e Signore per la Dio grazia Mess. Antonio Vescovo di Firenze, il quale secondo il tempo armato col popolo da tanto dominio difese, non perchè delle sue virtù gli contradicesse la nostra Repubblica (1), ma acciocchè con mano armata

Se Cristianissimi esser voi volete,
E voi altri Cattolici nomati,
Perchè di Cristo gli uomini uccidete?
Perchè de' beni lor son dispogliati?
Perchè Gerusalem non riavete,
Che tolta è stata a voi da' rinnegati? ec.

Tralascio dir di più su questo proposito, e invito chicchessia a leggere l'antico *Viaggio in Terra Santa fatto, e descritto da Ser Mariano da Siena* da me pubblicato nel 1822. *in* 8.

(1) Questi fu Antonio d' Orso, Vescovo non men valoroso per la salvezza della patria, che delle Anime a lui affidate. Trovandosi intorno Firenze, e precisamente a S. Salvi nel 1312 l' Imp. Enrico coll' esercito per dar l'assalto alla nostra città, egli pien di coraggio, *e con molta lode*, così dice l' Ammirato *pag.* 255. della *Part.* 1. *T.* 1. dell' Istoria Fior, *del di lui ardire, e pietà, armatosi per l' amore*

nella città in tanto turbine non rompesse. E ora volesse Iddio, che la mia disavventurata età avesse uno sì nobile Capitano, perocchè come disarmato il Sepolcro Santissimo vicitai, così armato Ierusalem, ov' è tanta divozione, combatterei, e Cristo concedentelo, il destro isprone della cavalleria mi cignerei, dove pellegrinando il sinistro mi cinsi, perchè notantemente disse quello circospettissimo degli Imperadori, che la nostra città era sì cresciuta per sua virtù, che non potea essere vinta da piccola gente, e la grande per isterilità vivere non ci potea; adunque

della patria con tutti i suoi Cherici, e montato a cavallo, di propria volontà si elesse di difendere, come fece, *la porta di S. Ambruogio*, ora detta *Porta alla Croce*. Ed infatti lo spirito, che egli inspirò fe sì, che l' Imperatore sloggiasse da S. Salvi, e recatosi a Poggibonsi, pieno di rabbia fulminò contro i Fiorentini la sentenza di ribellione; privò la città d' ogni giurisdizione, e sorte d' onori; condannò il Commune in cento mila marche d' argento, e tolsegli il potere di batter moneta così d' oro, come d' argento, e quei che aveano in mano il Governo condannati furono nell' avere, e nella persona.

espugnabile. A che dunque credi, che de' tuoi grandi eserciti impauriamo? noi non temiamo, che abbiamo grano in sul nostro contado d'avanzo, e quello siamo sofficentissimi colle proprie forze difendere, e ancora abbiamo Arezzo porto terrestre, e tanta è de' Fiorentini la virtù, e la 'ndustria, che avvegnadiochè noi manchiamo di marino porto, cioè del Pisano, tosto degli altri ci prevarremo. Nè contro a coloro, contro ai quali col lungo abbaiare intuoni, abbiamo volute l'armi commuovere, nè represse per paura l'abbiamo, conciosiacosachè sempre come fratelli dilettissimi abbiamo coltivati, coltiviamo, e coltiveremo, mentre che in noi libertà di spirito vegghierà. Nè de' nostri fratelli Bolognesi, i quali, maldicente, ora con vizio ricordi, isperiamo, nè ci disperiamo, conciosiacosachè nostre forze sieno potentissime per difendere la libertà, e ancora crediamo che, come grati, per nostra virtù restituita, insino a ora conservata, di loro libertà si ricordino. Di quelli tre nostri fratelli, i quali tanto vilipendi, molto ci confidiamo, ciò sono,

Signore di Padova, Signore di Ferrara, e Signore di Mantova; conciosiacosachè sieno forti, e forminati per la nostra lega, e dalle nostre forze suffulti, non dubitiamo d'essere inghiottiti dalla insaziabile gola del tuo Duca. Noi, o superbo, le nostre mura difenderemo, e se fia bisogno, per la nostra libertà ruineremo nel ferro, e Iddio ragguardante di cielo li buoni, ci farà la vittoria conseguire. Di' ancora così vanamente, come iscioccamente, che noi collo Illustrissimo Re di Francia ci vogliamo collegare, nè tali detti ripruovo, anzi fu tanto l'ardore, e fervore di nostra libertà, che per nostri oratori abbiamo richiesto di lega il maggiore Re de'Cristiani, e alla perfine con lui ci siamo collegati per la tirannia isvegliere, e per la libertà mantenere, e conservare, per la Chiesa riformare. Nè non contrasto il parentado del tuo Duca, il quale non però fatto col Re, ma colla casa reale. Ma, o componitore, e mentitore di parole, or per tal parentado i Galli sublimi, ora abbassandogli lievi, or fugaci, ora oziosi gli affermi, e in loro vituperio del Duca d' Angiò prolissamente

una moderna istoria inframetti, al quale brievemente rispondo; noi col capo, cioè, col Re, colui col membro, cioè, col fratello, colui solo della propria virtù, noi della reale, e della nostra ci confidiamo, noi per la giustizia, e per la libertà combattiamo, e non che dalle forze reali rincalzati, ma colle proprie siamo potentissimi la nostra libertà mantenere.

